

**Epistola medico-critica ad virum excellentissimum D. Ioannem Freind, ...  
super primo & tertio Hippocratis epidemicor. Nuper ab ipso editis.**

**Contributors**

Triller, Daniel Wilhelm, 1695-1782  
Freind, John, 1675-1728

**Publication/Creation**

Rudolstadii : Apud Tobiam Friderici, 1720.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/yx534yc4>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



B d  
6

m  
f. 10

The Library of the  
Wellcome Institute for  
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY  
OF  
LONDON  
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

TRILLER, D.W.

65875/A

S7

DANIELIS WILHELMI TRILLERI

Phil. & Med. D.

EPISTOLA  
MEDICO-CRITICA

AD

VIRVM EXCELLENTISSIMVM

D. IOANNEM FREIND,


Coll. Med. Lond. & Soc. Reg. Socium,

Super PRIMO & TERTIO HIPPOCRATIS  
EPIDEMICOR.

NUPER AB IPSO EDITIS.

---

*In qua simul agitur de variis Hippocratis Editionibus, MSSis, de eius stilo & dialecto, variaque in ipso emendantur loca: praeterea ei restituitur doctrina de pulsibus, sudoriferis, usu cantbaridum externo, aliaque admiscetur notatu digna.*



RVDOLSTADII

Apud TOBIAM FRIDERICI.

1720.

DANIELS WILHELM JOURNAL

EPISODIA  
MEDICO-CRITICA


AD

VIRVM EXCELLISSIMVM  
DIONANNEM FREIND

Medicus in Regia Societate

Superioris Silesiae in HYPHOCATA  
MEDICORVM

IN ANNO MDCCCLXXII



Die Naturgeschichte der menschlichen Leber  
von J. J. G. Sieber, Med. Doctor, Professor  
der Anatomie in der Universität Bonn.  
Bonn, bey der Buchhandlung des  
Herrn Buchbinderen, 1772.

1772

ANDRÉAS

APUD JOSEPHUM FRIDERICI

1772



## VIR EXCELLENTISSIME.



Perlectus mihi est liber  
Tuus ex Anglia nuper  
ad nos allatus, elegans  
non minus, si chartae  
et characteris nitore-  
rem, quam doctus,  
contenta si respiciam. Saeculo huic  
nostro impense tum gratulatus fui de  
tanto Hippocrateae auctoritatis vin-  
dice, quae ubi lapsa penitus non fue-  
rit, sensim tamen proh dolor! labitur.  
Multi enim, non dicam, plurimi, qui  
nil nisi noua vbique crepant, indi-  
gnum putant, Hippocratem, quem  
tamen omnes cordati pro duce paren-  
teque in arte salutari iure habuerunt,  
euoluisse atque quidpiam ex ipso ad-  
didicisse: Quasi vero satius non foret,  
limpidos adire fontes, quam ex pa-  
ludosis interdum riuulis aquam insi-  
pidam haurire. Equidem is ego non  
sum, qui Recentiores sua laude de-  
fraudare velim: Sint per me licet, cla-  
ri in arte medica; locupletarint et A-  
natomiam et chirurgiam et chemi-



um etc. etc. an ea propter Veteres, qui si non omnia (hoc iis in aurem dixerim, qui ita de me sentiunt, quasi putem Hippocrati nil quidquam in Medicina latuisse) plurima tamen calluerunt, quamuis ea non, prout nobis est plerumque moris, magno verborum firmate consignarint et commendarint, parui facere liceat? ego sane illud non putarim: quam longe facilius sit expolire aliquid ac amplificare, quam inuenire et ex rudi et indigesta male formare. Sed quis est, qui haec perpendat? paucis illud est datum et inter hos Tibi prae reliquis **VIR EXCELLENTISSIME!** Tu enim antiquum aurum nouis scoriis praefers, fidamque Pharus potius sequeris quam ignes fatuos, et nullus vereris, ringentibus licet, sat scio, multis, adferere, Veteres Medicos et maxime Hippocratem, in tradendis morborum historiis, vt alia non attingam, recentioribus palmam dudum prae-ripuisse, quod et iam sua tempestate passus est Thomas Sydenham, Angliae suae decus et fidus fulgentissimum, quod, quo acrius obscurare illud contendunt inuidi; eo illustrius, vt fieri solet, resplendet.

Quumque ego a puero fere fui Φι-

ΛΙΠΩΟ-



*Λιπτοκράτης*, et eum simul in finem  
 Medicinæ operam dedi, vt diuinum  
 illum senem recte intelligerem :  
 haud aegre, spero, feres pro ea, qua es,  
 humanitate, si illa, quae cum in lectio-  
 ne ipsius Hippocratis, tum Tui libri  
 egregii euolutione mihi fuere obser-  
 uata, leuia licet sint, ad Te perscri-  
 bam, officiose rogitans, vt omnia ae-  
 qui bonique consulere, et super iis,  
 vbi forte humani quid (id enim à me  
 alienum non puto) fuerim passus, iu-  
 dicium Tuum limatum interponere  
 velis. Hac enim ratione non tantum  
 me, sed quod maximum, ipsam eru-  
 ditum orbem Tibi reddes deuinctissi-  
 mum. Vt vero mittam, quae in Epi-  
 stola dedicatoria ad Cl. Ricardum  
 Frewin docte et eleganter disseruisti  
 de veterum Medicorum et Graecorum  
 et Latinorum monumentis, vtpote  
 generaliora, et ad scopum meum,  
 quem mihi hac quidem vice praefixi,  
 non adeo spectantia; sine vlla ambage  
 me iam ad ipsam Praefationem  
 conuerto, vbi tum de *uariis Hippocra-  
 tis Editionibus*, tum de eius *dialecto*, tum  
 aliis *momentis Hippocratem legentibus scitu  
 admodum necessariis*, ex instituto agitur. *De Variis  
 Hipp. Edi-  
 tionibus.*  
 Et primum quidem, quod ad varias  
 Hippocratis Editiones attinet: haud



fatis laudare queo exactum Tuum de  
iis iudicium. *Aldina* enim, quae omni-  
um est prima, vtut ex MSSis immedia-  
te sit impressa, praeter antiquitatis ta-  
men honorem chartaeque nitorem  
vix aliquid habet, quod ipsam com-  
mendet, quale iudicium esto de omni-  
bus propemodum Aldi libris Graecis,  
sunt enim admodum vitiosi: exem-  
pli loco fit Plato, de quo ipse conqueri-  
tur Aldus in *allocutione ad Leonem X.* Ga-  
lenus, Philostratus, Aetius, vt alios iam  
taceam. *Frobeniana* castigatior est, sed  
*paullo*, vt bene monuisti, nam quae-  
dam interdum ibi sunt omissa, vt inter  
legendum olim saepius obseruaui:  
hoc tamen possum adserere, quod typi  
et acutiores sint et accuratiores, quam  
in ipso quidem Codice Aldino. In  
*Mercuriali*, qui etiam edidit Hippocra-  
tem, vnum illud desidero, quod fidem  
MSSorum, Vaticanorum praesertim,  
quae tamen creberrime, vt infra plu-  
ribus probabo, est sublesta, suo sae-  
pius, quod tamen, vt docti norunt,  
maximum erat, praetulerit ingenio,  
hincque recte adnotas V. E. eum vel  
ipsa vitia exscripsisse: nam hoc pacto  
reuera *male se ingessit in numerum interpre-*  
*tum* Castrensis iudicio apud Bartholi-  
num. Sed quid de *Foësto* dicam? sane

De lib. leg.  
Diff. IV.

is maior est meo qualicumque encomio: Coniuncta in ipso erant doctrina cum ingenio et diligentia cum iudicio, adeoque omnia habebat requisita, quae acutum decent criticum et bonum interpretem. Profecto, si quis eius versionem euoluat, se nihil accuratius, luculentius nihil legisse fateri cogitur: et mihi met ipsi saepe, testor, accidit, ut ex accuratissima illa et summo cum iudicio conflata versione corruptum Hippocratis textum emendare potuerim. Illud autem Tecum in eo laudem nescio an notem? quod se nimis clementem gesserit in extirpandis vitiiis textui Hippocratico illatis: Vbi enim vrendum erat et secandum; ibi nihilo minus linamenta adhibet et cataplasmata, et dubitanter subscribit, quae tuto in textum erant recipienda: notent praeterea alii, Commentarios eius nimium verbosos interdum et copiosos. Ad *Lindanum* iam venio feliciorum forte Medicum quam Criticum. Praeterquam enim, quod ille ingenio suo abusus sit in textu emendando, ut Bartholinus iudicat supra allegatus, et nihil tamen de illis emendationibus indicauerit (qua de re alibi a me dictum fuit) nitidissimam suam Editionem turpiter foedavit

cum versione Cornarii, pessimi, teste Casaubano, critici. Nihil enim, ita me DEus amet! illa vnquam legi absurdus, nihil frigidius, quod vel ipse Foësius ὁ πάνυ passim testatur, et iam ante eum Zuingerus, praeterea varia quoque hinc inde inuenire licet paratypomota ex correctoris negligentia praeteruisa. Sunt autem in ea Editione, quae laudem merentur, forma imprimis et nitor: est enim ad vsu quotidianum accommodatissima, et chartae typique elegantia, quae Batauorum in imprimendis libris est proprium, oculos mirifice oblectat; quibus merito tertio quasi loco adiunxeris textus in segmenta diuisionem, allegationibus optime inseruientem. Poterat quidem et quarto addi, quod ista Editio ad omnes alias editiones, vt Titulus superbit, respiciat paginis earum ad marginem vbique adiectis; Verum, quum operosus tantum mihi videatur labor, ex quo tamen, si verum fateri velimus, parum verae utilitatis redundat, igitur istud in medio relinquam sine laude, sed et sine vituperio. Vastum illud *Charterii opus* adhuc superest, de quo nihil habeo, quod dicam, quam illud, quod Tute V.E. prudenter adnotasti: est enim somnolenter

ter compositum et clausis paene oculis correctum, adeo, ut praeter splendorem, quem Bibliothecis adferre potest, parum habeat laudis, sed multum pretii; nisi illud aliquis velit in eo laudare, quod Galenum exhibeat cum versione, et quaedam eius scripta in aliis editionibus haud obuia. Dicendum nunc aliquid hic esset de *Theodoro Zuinger*o, is enim, si a Foëfio discesseris, omnium optime de Hippocrate meruit, summo scilicet iudicio praeditus, et ingenio politissimo ornatus. Verum, quum ille non uniuersa Hippocratis edidit opera, et hinc etiam abs Te non fuit allegatus, eum cum reliquis multis, qui quaedam tantum Hippocratis scripta edidere (quorum amplum Catalogum Foëfii exhibet Editio) praetereo, alia commodiore occasione iudicium de iis laturus. Id tantum in praesenti de Zuingero dico, analysin eius per tabellas factam mihi non adeo placere: quantum enim laboris ea exegerit ab Auctore, ut ipse fatetur; tantum hercule! tae-dii parit et difficultatis lectoribus, qui mox huc, mox illuc oculos vertere, immo torquere coguntur, praeterea nec usum adeo magnum hariolari queo. Sed haec de Editionibus. Vi-

*Nova pro-*  
*mittitur*  
*Editio.*

*De MSSis*  
*Hipp.*

*Pref. in*  
*Not. ad*  
*Max. Tyr.*

des V. E. quam accurate Tecum consentiam. Libere iudicavi, sed, ut credo, vere. Ego vicissim liberum exopto et exopto iudicium super mea, quam paro, Hippocratis Editione, quae, si Deus vitam concesserit et sanitatem, breui forsan ita erit comparata, ut prelo subiici queat.

Occasione *Manuscripti Barocciani*, de quo TIBI iam est sermo, anfa mihi datur, quaedam de *Codd. MSSis Hippocraticis* primo sane loco ponendis, in genere differendi. Equidem, ut ingenue fatear, vidi hucusque nullos, nulli enim apud nos habentur: Quantum vero tum ex libris impressis, tum doctorum Commentatorum testimoniis, immo querelis, colligere licet, fatum est, immo querelis, colligere licet, fatum est, immo querelis, colligere licet, fatum est. Duo nimirum sunt, iudice Dan. Heinsio, quae autoribus antiquis labem attulerunt et perniciem: *tempus* videlicet et *imperitia*. Hoc vel maxime in Hippocrate palam fit: plus tamen posterius ipsi nocuit quam prius. Quum enim scribae illi litteris satis leuiter tincti stilum Hippocratis medicum vocesque peregrinas, adde et, quod Opsoeius obseruat, per compendium scriptas, non intelligerent, factum est, ut ego quidem opinor, ut tam horrenda  
mon-

monstra saepius textui Hippocratico inferrentur, quae ubi legimus, lacrimas, nescio, an risum, exigant. Nihilominus tamen et membranae et chartae omnes ὁμοθυμαδὸν in vitia conspirant, de quo saepius quoque conqueritur Foësius, quibus, nisi succurrat ingenium, nec audax nimis, nec nimis timidum; omnis certe medela erit deneganda. Lubet iam quasdam saltim *Vitiosa* spicas, prout in manus venient, ex *sunt.* vberima vitiorum messe proferre, quo dictis meis eo melius fides sua *Loca in* constet. In *Lege* ter legitur τρέπ<sup>Ⓞ</sup> *Hipp. emen-* *εύφους* in omnibus, si fides Foëσιο, *data.* Codd. MSStis, quum tamen cum eodem Föesio, Zuingero et Cornario, qui et aliquid aliquando vidit, scribendum sit τρέπ<sup>Ⓞ</sup>, nisi malimus per τρέπ<sup>Ⓞ</sup>ον intelligere methodum, quod tamen duriusculum videtur. In *Libro Praeceptionum §. VII. Edit. Lind.* (eam enim semper allegabo, quoniam tme-mata habet, et aptior hinc allegationibus prae reliquis, ut supra iam monui) dicitur de Medico: ἐπισκοτούμεν<sup>Ⓞ</sup> τῇ ἀπειρίῃ, ut MSSta habent, quum tamen tuto legendum sit ἀπορίῃ, uti mox aliquoties sequitur, de imperito enim Medico sermo ibi non est, verum de dubitante; *ibidem §. X. αἰτήσαιμε*

βέδην



βέσθην omnia exhibent exemplaria, teste Föesio, et tamen est monstrum. Föesius legendum putat βοηθεῖν, seu quod melius βοηθείην, quod haud improbo: malim tamen cum Mercuriali βελήν, quia haec propius accedit ad corruptū βέσθην. In libro de Carnibus (σαρκῶν enim legendum, non, ut vulgo fit, αἰρχῶν) omnes fere Codd. habent, ubi de medulla spinali mentio fit, ἡ γὰρ ὁμοίως τῷ ἄλλῳ μυελῷ ὡς ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν ὅσῳσιν ἐνῆ, quum aptior sit lectio: ἡ γὰρ ὁμοίως f. ὁμοίως (scilicet ὁ μυελὸς νωστῆ) τῷ ἄλλῳ μυελῷ ὅς ἐνῆ f. ἐνι κ. λ. sed longe difficilior est locus *ibidem* §. XVIII. in fine, ubi de oculi formatione & affectionibus quaedam differuntur; verba haec sunt, prout ea omnes repraesentant Codd. καὶ ἡντὶς ἐγκρίσεις (ἐν κρίσεις scribunt Zuingerus, Föesius, ut et in Edit. Froben. quod tamen falsum,) διὰ τὸδε, ὅτι ὁμόχροιά ἐστιν ὡσπερ τὸ σῶμα, καὶ ἡ γλῶσσα, καὶ ἡ ἄλλη κοιλίη ἐνυγρὰ ἐστιν. Sed qui sensum mihi & nexum commodum ex hisce verbis deprauatis extorquebit, nae! is magnus mihi erit Apollo: Zuingerus quidem illud tentavit, sed successu paene nullo, quamuis adplaudat Föesius. Cohæret quidem, non nego, interpretatio eius cum antecedentibus, quae tamen interiecta tantum sunt, non vero cum

se-

sequentibus, cum quibus tamen necessario connecti debebat. Quid si autem ego ingenii mei vires, quod quam sterile mihi sit, nullus quidem ignoro, pericliter, huncque locum litterarum ductibus accurate inhaerens hoc modo legam: καὶ ἦν τις ὑγρασίη διὰ τὸδε, ὅτι ὁμῶς χρεῖα ἐστίν, ὡσπερ τὸ σῶμα - - - ἐνυγραῖα ἐστίν: dixerat enim diuinus senex περὶ ὑγρῶ τῶ ὀφθαλμοῦ s. oculi humore; quam pessime autem se habeat oculus iustis suis humoribus destitutus, in pathologicis demonstratur & ipse evolui potest Hippocrates Libro de Locis in Homine, & alibi. it. Aetius Lib. VII. in eodem de Carnibus Libro s. XIX. ubi de fermone sermo est, verba: αὐτὸ δὲ πνεῦμα θύραζε ἀπὸ τοῦ σενῶν, ψόφον ποιεῖ, posteriora ita sunt legenda: διὰ τὸ σενῶν, ψόφον ποιεῖ: Notum enim est ex Phisicis, spiritum inclusum, dum per angustum erumpit spatium, strepitum facere, non autem, si per inane & vacuum spatium permeat. Hanc meam emendationem egregie ipse confirmat Hippocrates in Aph. 51. Sect. VII. hisce quidem verbis: ψόφῃ δὲ ὁ ἀνὴρ, ὅτι διὰ σενῶν ἢ διέξοδῶ ἀυτῶ ἐστίν. E contrario vero in Libro de A. A. et. L. s. XLIV. ubi de domibus Scytharum Hamaxobiorum portatilibus,

libus, vt sic loquar, sermo est, verba:  
 ταῦτα δὲ καὶ σενὰ πρὸς ὕδωρ, ita legenda  
 esse existimo: Ταῦτα καὶ σενὰ πρὸς  
 ὕδωρ, haec enim domus, f. hi currus te-  
 sti firmati sunt aduersus aquarum et  
 imbrium impetus: *inanes contra aquas,*  
 prout antea lectum fuit, inane certe  
 est et nullius momenti. Sic et in Libro  
 de Decenti ornatu §. II. loco τῆς ἑξῆς διδακτῆς  
 κατασκευῆς, legendum potius arbitror:  
 ἑξῆς διδακτῆς κατασκευῆς, i. e. *ornatus aut*  
*apparatus non adfectatus et supra modum*  
*concinuus.* Ab his autem locis mea  
 ope, credo, nonnihil emendatis,  
 ingentem facio saltum (nam mihi pro-  
 perandum) ad Librum Epidemiarum septi-  
 mum extremum, vbi haec leguntur de  
 Philotini filio caluariam perdidit vul-  
 nerato et hinc Hippocratis auxilium  
 implorante: Εὐξῶν κρανίον ὀστέον ἔρημον  
 ἰντρικῆς ἐς ἰνχίνα τὰ κρούφημα ἔχῃ ὀσῶν  
 ἔσωτα. Sed quis quaeso tam felici  
 sub fidere natus est, vt haec intelligat,  
 prout quidem iacent? et nihilo tamen  
 minus omnes Codd. MSSi, quotquot  
 Föesio euoluere licuit, hisce superbi-  
 unt monstros, adeo, vt idem locum  
 hunc habeat pro conclamato & plane  
 ἀννηέσω. Vtrum igitur antiquitati hoc  
 in passu honos erit habendus et aperta  
 vitia in textum recipienda; an ingenio  
 po-

potius indulgendum et gangraenae  
ferro & igne, h. e. audaci aliquantum  
crisi occurrendum, quis fodes est, qui,  
si sapit, posterius ratum non habeat?  
Föesius, vir mihi plane θαυμάσιος  
tentat quidem suum, quod maximum  
est, ingenium; verum timor, de quo  
superius vterque sumus conqueſti,  
obſtat, quo minus herculea mente  
Augiae hocce intrauerit ſtatutum,  
hincque ſordes illae per ipſum tactae  
quidem, ſed non remotae ſunt. Ten-  
tabo igitur et ego (vide qua ſim audaci-  
cia V. E.) an hic locus veluti cranium  
Philotimi filii, plane ſit ἐρημὸν ἰητρικῆς  
ita ſcilicet legendo: εὐρὸν κρανίῳ ὅσῃ  
ἐρημὸν ἰητρικῆς. ἐξήνεγκα ἢ ἐξενήνοχα  
(quod Atticum eſt, et magis reſponderet  
τῷ corrupto ἐς ἰηχίνα) τὰ τεύχεμα ἔχον  
ὄρων σωθέντα: *Abſtuli quidem ſ. extraxi  
fragmenta laeſi cranii XLI. ſed eum (ſcilicet  
Φιλοτίμου παιδα) non vidi ſeruatum fuiſſe:*  
Qui enim quaefo ille poterat ſeruari,  
cui cranium tam vehementer erat con-  
tritum? conferri hic poteſt omnino  
liber Hippocratis *de Capitis Vulneribus*.  
Quid autem de hac correptione, quae  
ſi nihil aliud laudabile, ſanum tamen,  
vt ſpero, habet ſenſum, ſit ſentien-  
dum, TIBI, V. E. et aliis doctis re-  
linquo: quae ſi ad palatum non fu-  
erit,

erit, magnis tamen excidi aufis, vt de Phaetonte Naso quondam cecinit.

Sed dum Hippocratem corrigo, vereor, ne ipse sim corrigendus, quod patientiam Tuam rebus a scopo forsan alienis nimis defatigauerim. Quorsum enim, inquires, haec ista omnia? Hippocratis exempla admodum esse manca et deprauata, nemo est doctorum, qui neget, et ipse super hac re grauiter sum conquestus in *praefationis principio*. Dicam, si audire lubet, quapropter istud factum: vt scilicet probem, MSSis Hippocratis parum habendum esse fidei, et ex ingenio cum iudicio combinato plus esse petendum auxilii, quam ex iis ipsis, sint licet Vaticana, Parisiensia &c. Veneror quidem, vt decet, illorum antiquitatem, sed prauitatem absit vt probem & sequar! Vnde autem illam contraxerint, superius a me fuit expositum, quare id hic repetere nolo. Haec, quae haecenus dixi, mihi Palladii loco erunt, vbi ventum fuerit ad ipsos *Epidemiorum libros passim a me emendandos.*

*De Stilo et  
dialecto  
Hipp.*

Jam de stilo Hippocratis et dialecto Ionica in genere quaedam, TE quidem duce, a me dicentur: *Hippocratem* inquis, V. E. *lingua Ionica scripsis-*

*se inter omnes constat.* Idque quam verum sit, nemo est paullo humanior, qui nesciat. Licet enim Doriensis fuerit, ut Paetus testatur et Aeliantis (sunt scil. Coi Dorienses Strabonis fide *Epist. ad Artaxerx. V. H. IV, libr. XIV.*) mutasse tamen rusticam dialectum dicitur in mollem s. Ionicam, idque eodem Aeliano auctore, in Democriti gratiam, quamuis contra differat aliasque rationes adferat Mercurialis. Quum vero dialecti diuersitas hodie obseruetur in Codd. Hippocratis, ita ut nunc Dorice loquatur, nunc Attice diuinus ille senex: Eruditorum plurimi arbitrantur, scribarum vitio istud fuisse factum. Etsi igitur illorum incuriae et somnolentiae, quae quanta sit, non ignoro, nullus patrocinator, putarim tamen eos plus peccasse in sensu turbando, ut supra iui probatum, quam dialecto varianda, culpamque huius variationis, si qua est, in Hippocratem potius, quam ipsos esse reiiciendam. Scio id multis mirum videri, immo forte indecorum: Sed isti sibi obsecro temperent, donec mentem meam penitus explicuero. Ut enim hic taceam, dialectos veteribus fuisse mixtas, ut Baxterus vestras ad Anacreontem notat, quod inferius paullo attingam, Hippocrates

*Supplic.*

certe nec per naturam secus potuit scribere, nec per consuetudinem. Dorica Dialectus ipsi erat ἑμφυτῶς, ut modo diximus, hinc fieri non poterat, quin dum Ionice scribere adfectaret, chorda nonnunquam oberraret Dorica; fero enim animus plane illud dediscit, quod in iuventute vegeta didicit, secundum illud Euripidis: Ἄδ' ἄν μάθοι τις, ταῦτα σώζεσθαι φίλῃ πρὸς γῆρας: inprimis si nobiscum perpendamus, quam facile viro rerum arduarum copia obruto earumque indagationi intento, verba excidere possint duriuscula et paullo asperiora. Voces autem Atticas, quas passim interspargit, fructus esse arbitror peregrinationum, quas pro seculi illius more, Medicinae faciendae ergo, in varias Graeciae oras instituit, ut ex Antiquis testatur Soranus, ex recentioribus Aegidius Menagius & Daniel Clericus, Viri elegantissimi, ubi enim vivimus, ibi et linguam, certe voces quasdam et loquendi formulas incolis istius loci usitatas, nobis fere insciis, addiscimus et adsciscimus, inprimis quum Hippocrati multum intercesserit commercii cum Atheniensibus, à quibus ob singularia in ipsos merita, diuinis plane honoribus affectus et ciuitatis iure fu-

it

it donatus, vt videre licet ex *ipso Atheniensium decreto*, et ex eleganti *Thessali filii Hippocratis ad ipsos oratione*, item *Sorano*, quibus addas *Meursium de Fort. Att. it. Panathenacis*. Hic autem miror, *Wintertonum*, quem *TV, V. E. Graecarum litterarum callentissimum iure pronuncias*, (qui tamen nescio an multum iuuerit orbem litteratum, quum *Hippocratis Aphorismos* carmine graeco exprimeret) scribere potuisse, quod siue *transcriptorum Atticorum incuria*, siue *Typographorum oscitantia*, multis in locis *Dialectus Attica* in locum *Ionicae* irrepsit: quum *Galenus primo* (non *tertio*, vt allegat *Cl. Clericus*) in *Hippocratis Lib. de Fracturis Commentario*, itemque *loco alio*, a *Lindano* adnotato, perspicue doceat, *Hippocratem dialectum Atticam κατά τι vsurpasse*, *ὡς ἀποφήνασθαι τινὰς αὐτὴν (διάλεκτον) ἀρχαίαν ἀττίδα*, quod et idem vltcrius probat in *sua exegesi Hippocratica*, quicum conferri potest *Erotianus* vocibus *Διοπῶ, Δειμῶδε* *πύρ* et locis aliis bene multis. Sed et hoc erat hic addendum, quod *Ionicae Dialecto* proprie sic dictae necesse fit quidam adhaereant *Atticismi*, quum *Attici & Iones antiquitus vna eademque essent gens*, vnaque vte-



rentur dialecto, priusquam antiqua  
fede relicta, Asiam peterent: qua de  
re luculentus exstat locus apud Stra-  
bonem *Lib. Geogr. VIII.* sub initio, qui-  
cum conferas eiusdem *Lib. IX.* itidem  
haud procul ab initio. Et hoc scire  
debuisse Wintertonus; eo enim re-  
spexit Galenus verbis mox allegatis,  
& forte etiam Graecantissimus Grono-  
uius in suo Herodoto, quem, ut recte  
adnotasti, non semper voluit Ionice  
loqui, prout scilicet hodie dialectus  
Ionica comparata est. Nam licet At-  
tica Dialectus prisca cum Ionica maxi-  
me, ut modo diximus, conspiret, scri-  
psit tamen Dionysius Halicarnasseus,  
illam *μικρὰς ἔχειν διαφορὰς παρὰ τὴν  
ἰάδα.*

*Judic. de  
Thucyd.  
Hist. p. 147.*

Haec, credo, sufficere poterant ad  
defendendam mixtam Hippocratis  
Dialectum. Verum alia adhuc restat  
ratio istius stili varietatis, quae cum  
certior sit his, quae modo allegavi, mi-  
nime licet flocci pendendis; ita mi-  
ror, eam eruditorum, qui de Hippo-  
cratis stilo aliqua differuere, nulli in  
mentem venisse, quum tamen illa in  
aprico sit. Constat nimirum, cum ex  
Erotiano atque Galeno, tum Bacchio  
in primis, qui utramque fere paginam  
facit in Erotiani Glossario, Hippocra-  
tem

*Stilus Hipp.  
est Homeri-  
cus s. Poeti-  
cus.*

tem veteres poetas v. g. Homerum, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, aliosque non modo sedulo legisse; sed & stilum suum ad illorum normam efformasse: Inprimis tamen Homerus, poetarum parens et Rex, Hippocrati in deliciis fuisse videtur, pro more scilicet illorum temporum, quo tam grande nefas erat Homerum non legisse, quam nostra aetate Biblia (si magna licet componere paruis) neglexisse: nisi forsitan & haec fuerit ratio, quod non pauca haberet Homerus ad Medicinam et maxime ad traumatologiam spectantia, ut Plutarchus, Autor Vitae Homeri, Plato, Eustathius, Galenus, Aelianus, Plinius, Celsus, Aurelianus, & alii recentiores testantur. Non enim solum versum ex isto allegat duobus in locis, licet is in nostris Homeri editionibus, Foefio Autore, haud amplius legatur, et quasdam etiam sententias ex eo mutuatur in *Lib. de Morb. IV. de Humoribus, Epidemiorum Vto &c.* sed et voces ipsi usitatas, constructiones singulares, casuum modorumque enallagen, peculiarem particularum usum etc. crebro hinc inde adhibet, ita, ut rectissime scribat Erotianus:

*De Artic. §. VI. & Vegetar. §. IIX*

*in Praef.*

Ἰπποκράτης γέγονεν ἀνὴρ ὀμηρικὸς τῆν

φράσιν κ. λ.

B 3

quod

quod et postmodum in ipso Lexico perspicue, ut iam dixi, docet, quale et Galenus fecit. Jam vero doctis est notum, priscos poetas et Homerum maxime omnium, qui extant, antiquissimum, non vna tantum; sed omnibus coniunctim dialectis fuisse usum. Sic enim Autor vitae Homericæ, qui siue Plutarchus sit, siue Dionysius Halicarnassæus, parum hic sciuisse refert, de Homeri stylo; λέξει δὲ ποικίλη κεχρημένον (Ὅμηρον) τῆς ἀπὸ πάσης διαλέκτου τῶν ἑλλήνων χαρακτῆρας ἐγκατέμιξεν, quod et in sequentibus, multis exemplis ex Homero ipso petitis, fusius demonstrat: huic addi meretur Tyrius Maximus in Homeri lectione versatissimus, qui hunc in modum de Homeri dialecto differuit: ἔτι δὲ ἰωνικὴν ταύτην (ποιητικὴν) ἐθελήσασιν εἶναι αὐτῶν, ἔτε ἀκριβῶς δώριον, ἔτε ἀττικὴν, ἀλλὰ κοινὴν τῆς ἐλλάδος, et reliqua, quæ sequuntur lectu haud indigna. Quid ergo mirum, si Hippocrates, quum esset φιλόμηρος, stilum poeticum, certe dialectum mixtum poetarum plurimis familiarem, in scriptis suis adhibuit, ita tamen, ut Ionica princeps esset? de quo infra. Hinc desinat Galenus accusare in Hippocrate τὸ σολοικοφανὲς; haud amplius miretur Zuingerus frequen-

Diff. XVI.

frequentem Hippocrati synchysin, casuum, generum et modorum enalagen, stilique praeterea inaequalitatem; non putet Opsopoeus, interpretes et scribas Hippocratis stilium depravaasse, mixtamque hinc dialectum loco Ionicae scriptis ipsius intulisse: et tandem Wintertonus pios transcriptorum Atticorum manes frustra sollicitare nolit! Secus enim non scripsit Hippocrates, nec voluit scribere, quam scriptum est. Sed haec de Hippocratis dialecto, de qua Galenus singularem libellum composuit, quem allegat *primo in Hippocratis fracturas Commentario*, sed, quod dolendum, hodie deperditum. Forte is idem ibi dixit, quod ego hic: interim nil refert, si aliud quoque. Profecto enim parum, immo nihil, ut scapham scapham dicam, auctores graecos adiuuamus, ubi de restituenda dialecto nimium laboramus: quem enim quaeso in finem is suscipiatur labor satis molestus? Legimus sane eos, ut intelligamus, non ut graece scribere ex iis discamus; ut ut igitur siue Ionice pure, siue Dorice, Attice et Ionice simul scriptum sit, quis illud curet aut requirat? Dispiciendum potius erat de vitiis, quae sensum turbant,

*Vanus circa dialecti restitutionem labor.*

eradicandis : modo is fit sanus ; dialectus aegrotet, immo pereat !

*Obiter  
quaedam  
de dialecto-  
rum com-  
miftione  
apud Vete-  
res.*

Verum super sunt mihi adhuc aliqua de reliquis Auctoribus, Ionicis aequae ac aliis, in quibus similis Dialectorum, ut ais, confusio obseruari solet, cuius ex alio certe capite deducenda est ratio. Hoc autem breuissimis καὶ ὡς ἐν παρόδῳ fiat, quia animus ad Hippocratem redire ardet. Suppono scilicet ceu rem eruditissimam, Veteres vel εὐστομίας, quod elegantissimus Baxterus putat supra mihi laudatus, vel et ostentationis gratia, dialectos miscuisse, ita tamen, ut dialecti illius, qua potissimum uoluerunt inclarescere, frequentior usus prae reliquis dialectis sparsim hinc inde interiectis emineret, unde et nomen scriptoris nunc Ionici, Attici etc. fortiti sunt. Sumamus igitur duos praesertim poetas (eos enim libentius cito, quod ii stili venustatem quam maxime sint sectati) vnum Anacreontem, mollem et delicatum h. e. Ionicum, alterum ex aduerso Theocritum subrusticum et Doricum. De priori Suidas aliique prisci auctores perhibent, quod omnia scripserit dialecto Ionica: idque verum est τὸ πλεῖστον, non vero τὸ πᾶν. Si enim ipsum  
euol-

euoluamus, statim patet, eum non solum creberrime Doricis cecinisse fidibus; sed et aliquoties (Hipparchi forte in gratiam, cum quo familiariter aliquamdiu Athenis vixerat, teste Platone in *Hipparcho* et Pausania *Atticis*) Attica usum fuisse dialecto. Theocritus ex altera parte licet ubique fere Doricam vsurpet dialectum, non quidem antiquam illam asperam; sed recentiorem et paullo mitiorem, Ionicas tamen Veneres saepissime interspergit et praecipue in *Eidyllio XII.* quod, teste ipso scholiaste, totum fere est Ionicum: immo vetus quidam Auctor *Aldinae Theocriti editioni* praefixus et a summe Reu. Fabricio in *Bibliotheca Graeca* allegatus, aperte scribit: κέχρηται ἰάδι διαλέκτῳ καὶ Δωρίδι τῇ νέῃ κ. λ. Plura hiciam non addam: idem enim obseruare licet in Pindaro maxime Dorico, idem in Aristophane maxime Attico, et in reliquis, qui peculiari quadam dialecto vsi dicuntur siue sint prosaici siue metrici.

Falluntur ergo, ὡς ἀπὸ λῶς εἰπέν, immane quantum omnes ii, qui, quam sciant, hunc v. g. Ionice scripserunt, illud ita interpretantur, quasi ille auctor nulla vocula vsus sit alia, quam Ionica, vt credidit Tan. Faber, vir festiuissimi

ingenii, in Anacreonte, dum Suidae verba nimis stricte sumeret et hinc omnia illa odaria Dorico sale condita pro spuris haberet, sed ab ipsa doctissima filia hac de re confutatus: Sic et Barnesius vester graece doctissimus non immerito traducitur a Baxtero (vtrique sunt celebres Anacreontis editores) eandem ob causam, vbi enim in Anacreonte vocula Dorica occurrit, aut casus Atticus; ibi is sua auctoritate et ausu vocem substituit Ionicam, quasi rem belle gessisset et ex eruditorum Voto. Verissimum potius est et elegantissimum Aemilii Porti iudicium super Herodoto a TE V. E. allegatum, quippe quod ad omnes omnino autores graecos restringi debet, cui ego bina saltim verba addam ex summi Casauboni *Lectionibus Theoreticis*, quae et meum, si necesse, defendere possent Hippocratem: sic autem ille *Cap. II. p. m. 27.* vbi de canone linguae Doricae: „Meminerint tamen „tirones, non semper huic canoni esse „locum in scriptis τῶν διαζόντων: „idemque sentiendum de ceteris „omnibus, quae huic dialecto propria „esse dicuntur. Simile potest obseruari in Herodoti et *Hippocratis τῶν διαζόντων* scriptis.

Sed

Sed maius, quam volui, occupavit spatium mea de dialecto Hippocratis commentatio, cui tamen non video, commode quid detraham, immo cur non plura addam. Hinc iam ad ipsos *Epidemiorum libros* accedamus, immo accurramus! In limine statim quaedam erant monenda cum de numero, tum de subscriptionibus illorum.

*Septem*, vt notum, *Epidemiorum nu-* *De libb. E-*  
*merantur libri:* Ex his *primum et tertium* *pidem. nu-*  
 pro genuinis habet Galenus, ceteros *mero.*  
 fere tanquam spurios reiiciens: *Sextum*  
 tamen immo et *secundum* item *quartum*  
 ex parte, ab Hippocrate quidem scri-  
 ptos, sed ad priuatum tantum vsum;  
 a Thessalo vero aliisque post eum in-  
 terpolatos editos: *Quintum et septi-*  
*imum* putat *ἐναργῶς εἰναυ νόθα*, vt ipsius  
 allegem verba ex *comment. in Epid. VI.*  
 Praecipue autem *Septimus* tam iratos  
 sibi habuit eruditos, vt Foësius haud  
 dubitet scribere, *eum omni et caussa et sen-*  
*tentia apud idoneos rerum aestimatores ceci-*  
*disse, ac ne eius quidem rationem habere lice-*  
*re iudicatum esse.* Huic Galeni de *Epi-*  
*demiorum libris iudicio seu commen-*  
*to* postea Eruditi aceruatim caterua-  
 timque subscribere (nam ex tripode  
 dictum erat scilicet) nulla licet Ero-  
 tiani habita ratione, qui quum longe  
 sit



*Sextus Epid.  
obscurissimus.*

fit antiquior ipso Galeno, vt solide demonstrauit Cl. Clericus, omnes septem, non sex, vt idem Cl. Vir scripsit, Epidemiorum libros Hippocrati tribuere nullus veretur. Si enim stilum examinemus, qui, licet contradicant Zuingerus et Opsopoeus, in Hippocrate vtique obseruari debet, quum peculiaris et vt ita loquar, fere *Lipsianus* fit: in his Epidemiorum libris eius vbique adparebit aequalitas, nisi *Sextum* velis excipere: is enim adeo discrepat a reliquis, vt, nisi alius plane illius fit autor, quod facile concederem, si quis id adstrueret; aut data opera obscure fit scriptus, aut certe, quod potius crediderim, mirum deprauatus ad nos peruenerit: quot enim verba, tot fere aenigmata et oracula legas, hinc Zeuxis atque Heraclides, et ante eos Bacchius et Glaucias, teste ipso Galeno, in hunc librum perquam obscurum fuere commentati, nec est, quod idem adeo conquiretur de multis aliis interpretibus, qui huncce librum multa mutando explicare ausi fuerunt, nam certe indigebat ille manu, vt ita dicam, crudeli et armata: quid quod idem Galenus non diffitetur τὸ τῆς ἐρμηνείας εἶδος ἐν τῷδε τῷ βιβλίῳ πανπόλυ διαλλάττειν τὰ κατὰ τὸ

τὸ πρῶτον καὶ τρίτον τῶν ἐπιδημιῶν.

Quis vero, ut ad pensum nostrum re-  
uertamur, quis inquam Galenum  
quaeso docuit, Primum et Tertium E-  
pidemiorum libros, quos utique immo  
prae reliquis magni cenfeo faciendos,  
solos ab Hippocrate fuisse scriptos

*Galenus de  
iis iudicium  
est suspen-  
sum.*

πρὸς ἑκδοσιν ut ederentur, ceteros au-  
tem ad ὑπόμνησιν tantum seu priuatae  
memoriae priuatique vsus gratia?  
quum fas sit potius adferere, omnes  
scriptos esse πρὸς ὑπόμνησιν, seu conti-  
neri in iis ἀξιωματικόνετα conciso stilo,  
ut fieri solet, consignata. Vnde nouit

Quinti autorem Draconem, Septimi ve-  
ro, in quo, ut id obiter hic inseram,  
febrium historia eleganter pertra-  
ctatur, longe iuniorem esse? Respon-  
det ille: σχεδὸν ἅπαντες ἠγῶνται, πᾶσι  
δοκεῖ, φασί, omnes propemodum pu-  
tant, dicunt, aiunt, ferunt etc. Sed  
qui illi sunt omnes, qui illud pu-  
tant, qui dicunt? et cur id dicunt?  
altum hic silentium; dixisse sufficiat;  
mihi autem non sufficit. Nam non  
omnes ita existimasse, vox σχεδὸν vi-  
detur subindicare, quin et ipse me-  
moriam prodidit de Secundi et Sexti  
autore quem Thessalum esse credit,  
non inter omnes olim conuenisse: de  
Quinto et Celso et Aureliano, item Plu-  
tarcho,

tarcho, ipso Galeno antiquioribus, allegato, et ad quem etiam respexisse videtur Quintilianus, ipse Foefius magnus alioqui Galeni admirator, fatetur, *Galenum in eum duriter fuisse animatum, licet illum accurate legerit et plurima ad doctrinae suae confirmationem exempla ex eo depromserit.* Idque forte etiam de aliis erit iudicandum. Nam ipse Hippocrates disertis verbis hunc librum Quintum ceu *suum* citat *libello de infamia*, quam nemo, credo, derogabit Hippocrati, nisi quis incomparabilem *de Sacro Morbo Tractatum* ibi allegatum Hippocratis non esse dixerit, quod tamen nec Erotianus fecit, nec Galenus, nec alius, quod sciam, Autor fide dignus. Sed placeat sibi Galenus; placeat ille aliis! ego tanto scriptori nil laudis detraxerim: Licebit tamen dubitare, vbi rationes deficiunt, quae dubium eximant, vt pauca in praesenti de hac re dicam, apparet ipsum Galenum sui, vt saepe solet, oblitum, omnes hos *VII. Epid. libros* pro genuinis Hipp. libris habuisse. Allegat enim II. in *glossario Hipp.* voce *κατάστημα*, et *σομαρυς*, allegat quoque illum, teste eodem Galeno, Dioscorides, voce *ὕδρωψ*, item ipse Erotianus voce *ἀρχαίη φύσις*: *IV. Epid.* meminuit

minit Galenus voce *σπύγγοι*; Vti sub titulo *ἐγγαστήριμος* et *ἀθήρ*, de Vito nil opus est dicere, quum in ipsum commentatus sit, et pro Hippocratis ex parte foetu habeat Galenus, vt supra dictum: *VIIImum* autem septimum illum infelicem *Epidem Librum* citat tacite vocibus *ἀκροπις* item *ἐγγαστήριμος*. Verum de hac re alibi ex instituto plura.

Venio ad Subscriptiones: Hae sunt *De Subscriptionibus.*  
 vel *signatae* vel *significatae*: vtraeque in *Tertio* in primis Epidemiorum libro inueniuntur; sed vtrasque ab aliena esse manu nullum est dubium, nec ipse Galenus dubitat. Priorum s. characterum auctor habetur Mnemon *dolus Mnemonis memorabilia.*  
 quidam Sidites, homo vafer et *δολομήτης*, qui, vt Ptolemaeum illum Euergeten (s. potius Philadelphum parentem huius, vt adserit Heurnius et Langius, de quo omnes Auctores alii id referunt, quod hic Galenus de Euergete v. g. coemtio Aeschyli, Sophoclis et Euripidis Tragoediarum *αυτογραφῶν* etc. etc. ab Atheniensibus, quod nec ipse Cl. Clericus negat) per magno pretio veteres vndique libros conquirentem, argento probe emungeret, Tertium hunc Epidemiorum Hippocratis, (non vniuersa huius opera,

*Orat. de Med. Epist. II, 3. p. 500.*

*Hist. Med. p. II. l. 3. c. 30.*

opera, vt Cl. Clericus scribit,) ex magna Bibliotheca Alexandrina petiisse dicitur, cui simili atramento similibusque litteris illos allevit characteres, vt vnā cum ipso codice aetatem habere, et sic satis antiqui viderentur, adserens, se solum illum esse. Oedipum, qui illa aenigmata, dato praemio tanto Rege digno, soluere posset et dilucidare: Sunt qui aliter sentiunt, vt videre est apud Galenum, qui fusius de hac historia, quam ex Zeuxi veterē Scriptorum Hippocratis interprete, non Xerxe, vt Lomeierus scribit atque Langius loc. sup. cit. p. 501. (cur non Nebucadnezare potius?) descripsit, conferri potest Cl. Clericus, qui eandem ex Galeno breuiter exhibet. Miror hoc Mnemonis facinus latuisse Foesium: Nam scribit *Characteres illos a quodam artis Medicae studioso videri appositos.* Quod ad posteriores seu significatas; autorem quidem Galenus non nominat, videntur tamen eae, ex eiusdem opinione, a quopiam, memoriae ergo, ad marginem fuisse scriptae, postea vero in ipsum forte textum temere receptae, vt saepius accidit in antiquis Codd. quod probatione non indiget. Prudenter ergo fecisti V. E. quod nitidissimum Tuum  
librum

*In III. Epid.  
comment.*

II.

*de Bibl. c. V.  
Hist. Med.  
p. II. l. I.  
c. 7.*

librum his sordibus non foedaſti, nec pannos illos purpuræ Hippocrateæ adſuiſti. Vnum ὄξυ *lib. 2. ſ. 2, 6.* TE minus aduertente, in textum irrepſiſſe, conqueſtus es, cui, vt ego obſeruauī, accedat τὸ κυναγχεκὴ *lib. eodem S. I. aeg. 7.* quod quin ſuperuacuum fit, nec ipſe dubitabis, hinc et Capito iam olim illud expunxit, quem hac quidem in parte immerito reprehendit Galenus.

Hem! tempus eſt, ipſos iam Epidemiorum libros euoluamus, quæ monere vel emendare viſa ſunt, ingenue nec ſine ratione relaturi. Quid me impulerit, vt tale quid ſuſciperem, ſuperius declarauī; crambem non recoquam: Sed age! aperiāmus ſi lubet, legamus!

*Emendationes in Libb. Epid. I. et III. &c. rias.*

In *Libro Epidemion Primo Sect. I. §. 2. Edit. Tuæ* (ὑποφθειρομένων.) Licet haud improbem hanc lectionem, malim tamen ὑποφθειρομένων, quod melius reſpondet τῶ φθενώδεες κατεκλίθησαν, qui paullatim tabeſcere inceperant, tandem temporis proceſſu tabe penitus correpti decumbebant. Lindanus iam ita legit, vt vidi, et ipſe Foëſi<sup>o</sup> ita legiſſe videtur, dum per *conſumpti* reddit, qui ſimul teſtatur, plura Exemplaria MSSa habere ὑποφθειρομένων, ex qua diuerſitate vel meæ, aut ſi mauis,

Lindani lectioni quoddam quasi fulcimentum substernitur.

§. II. p. 17. Ὁ ἰητρὸς ὁ ἰητρὸς ὑπηρέτης) ingrata repetitio τῶ ἰητρῶ, quis non videt posterius hic παρέλκειν; Ipse Galenus omisit, quod miror a solertissimo Foëfio non adnotatum. Placet praeterea eorum Codd. lectio, qui loco τῶ τέχνης, Φύσεως ὑπηρέτης exhibent, vt Galenus testatur: Id enim Hippocratis menti quam maxime accommodatum est, vt pote qui tantum non vbique Naturae h. e. *motibus corporis animati mechanici spontaneis* tantas morbos profligandi suumque corpus conseruandi adscribit vires, vt medicus ipsi adaequatis instrumentis h. e. stilo Hippocratis, remediis succurrere debeat tunc demum, vbi ipsa nimium defatigata morborum impetui impar est: Quo certe respectu Medicus iure vocatur Naturae auxiliator aut moderator, συνεργὸς καὶ ὑπηρέτης, vt ipse Hipp. ap. Gal. ait. Differt autem vtique sensus, quod contra eundem noto Galenum, si Φύσεως legamus loco τέχνης, qui artis in se spectatae nullitatem, vt ita barbare loquar, respiciat, et veram Naturae essentiam, immo, si verum velimus fateri, Medicus rectius dici potest artis dominus quam seruus, sed  
non



non aequae Naturae, nisi tyrannus au-  
 dire cupiat. Ceterum, quum tam di-  
 uersae de Hippocratis Natura a me ob-  
 feruarentur opiniones: Visum est mi-  
 hi de genuino illius Naturae sensu li-  
 bellum componere, qui nuper quoque  
 typis fuit exscriptus.

*De Natura  
 Hippocr.  
 Auctoris  
 Commen-  
 tarius.*

§. 14. p. 20. αἰμορραγία) Hoc magis  
 Hippocrateum censeo, quam illud αἰ-  
 μορραγήσαι ἐγένετο, quod Foëf. Linda-  
 nus, et cod. Hipp. Froben. (qui tamen  
 illud ἐγένετο, omisit) exhibent. *Alia  
 exemplaria*, scribit Foëf. in Not. cum Ga-  
 leno οἷσι μὴ αἰμορραγίαι habent: Verum  
 meus Galenus, Basileensis etiam τὸ  
 αἰμορραγία repraesentat.

§. 19. p. 30. τὸ post verba ἀμακρίσει,  
 ἐπερρίγην interpretamentum esse puto,  
 nam abhorret fere a breuitate Hippo-  
 crati solita, nec id Galenus habet, nec  
 Foësius, licet is Galeni lectionem, ut  
 saepe solet, non adnotauerit, nec Cod.  
 Froben. denique.

§. 22. p. 34. Περιεσηκός.) De hac voce  
 aliquid iam dixi V. E. in doctissima  
*praefatione f. 24.* dicam hic de ea etiam  
 pace Tua, aliquid. Mirum hic variant  
 libri, nunc περιεσηκὸν vel περιεσηκόν,  
 nunc vero περιεκτικὸν exhibentes.  
 Priores lectiones nihil moror, nam  
 vix possunt defendi: de περιεκτικῶ ve-



*Vid. Opfop.  
comment.  
in Hipp.  
prognost.  
p. 593. seqq.*

ro mitius sentiunt; immo illud adeo adprobant Iosephus Scaliger et Ioannes Opfopoeus Viri graece doctissimi. Nituntur hi Erotiani inprimis auctoritate, qui περιεκτικὸν exponit per σωτήριον, quod ab Hippocratis mente alienum non est: Sed mendosum hunc Erotiani locum suspicatur Foësius, contendens, Erotianum vel περιεσηκός legisse vel περιεσηκῶν. Illi Hesygium quoque allegant, qui περιεκτικὸν per ὑπερέχον reddidit, nec inelegans est Opfopoei huius explicationis ad Hippocratis loca adplicatio: Id ipsum autem Hesygianum ὑπερέχον hic adhibet ad destruendum περιεκτικὸν Erotianum, dum ad diuersas explicationes respicit. Ego inter hos heroes iudex sedere nec volo, nec valeo: id tantum dicam, quod Hippocrates nonnunquam sensum vocabulorum receptum mutet, iisque talem in adplicatione attribuat, quem proprie non habent, nec commode habere possunt, idque iterum poetas, nisi fallor, redolet, quos Hippocratem sedulo legisse, superius demonstraui. Hoc quod dixi, Galenus passim testatur, praecipue vero in glossario, quod, ut ipse in praefatione eiusdem ait, non obsoletas modo voces continet, ἀλλὰ καὶ ἅσα ὀνόματα κατὰ

τά τῶν τρόπων ἰδίων αὐτὸς ἐποίησεν ὁ ἰπ-  
ποκράτης, ἢ μετενέγκων ἀπὸ τῆς συνήθους,  
ἢ σχῆμα περιθεῖς ἕτερον, ἢ τὸ σημαίνου  
ὑπαλλάξας, quibus addas Erotianum  
itidem in *Prooemio*, et in ipso *Lexico*  
plurimis fere paginis. Nunc, ut ad  
praesentem redeamus locum, lega-  
mus siue περιεκτικὸν siue περιεσηκός,  
neutrum sane proprie id significat,  
quod apud Hippocratem valet, puta  
σωτήριον ἢ ἀκινδύνου: immo, si verum ve-  
limus fateri, τὸ περιεκτικὸν vel proprie  
sumtum et sicut ab Hesychio supra fuit  
explicatum, magis huc pertinet quam  
τὸ περιεσηκός contradicente licet Foë-  
sio: Illud enim τὸ ὑπερέχον significat  
*superans, vincens, validius*, quod iure τῷ  
θανατώδει *summe periculoso* opponi pot-  
est, hoc vero non aequè, ut ex Lexicis  
notum. Aut igitur Foësius utrasque  
voces tam περιεκτικὸν quam περιεσηκός  
reiicere debet, aut nullam, nam  
utraeque peregrinum fere, ut dixi, for-  
tiuntur sensum. Eligat per me licet,  
quodcunque horum aliquis malit:  
parum enim aberrabit. Quum ta-  
men aliquot Codd. MSSti magnae,  
teste Foësio, fidei referant τὸ περιεση-  
κός; ipseque praeterea Galenus in  
omnibus fere, teste Opsopoeo, locis  
Hippocraticis, ubi vox illa occurrit, eo-

dem modo legat: mallet illud cum Aemilio Porto adprobare, quam cum Opfopoeo in omnibus illis locis τὸ περιεκτικὸν Erotianum paullo audacius recipere, etsi fatendum est, περιεκτικῶς διακεῖσθαι esse *extra periculum consistui et saluum euadere* apud nostrum Hipp. in *Prognost.* §. XXIV. Secus enim legi non potest, ut probat Opfop. qui sane locus facit, ut dubitem, quam in partem magis propendeam; in primis, si et reliqua considerem loca ab Opfopoeo quidem omissa: Sic *lib. cit.* §. XVIII. ὑπηρετῆται δὲ περιεκτικῶς ὑπὸ τῶν λοιπῶν πάντων τῶν περιεκτικῶν σημείων: *item libro praedict.* II. §. XII. ὅσις μὲν γὰρ ταῦτα πάντα ἔχει, περιεκτικώτατα γίνεται, ut taceam alia passim in his *ipsis libris semioticis* in hunc sensum occurrentia. Sed satis de hoc; multum potius quam aliquid dixi, et dum notulas scribo, fere commentarium confeci. Vnum adhuc monebo: τὸ περιεσηκός non *Vnus* modo *Charterius* in hoc *Epidem.* libro exhibuit, sed iam ante eum Galenus in sua horum librorum editione.

§. 24. ἀπὸ κλύσματις καλῶς διήλθε.)  
 Est hic quod notem in versione: *Ex alui dilutione meliuscule habuit*, plerumque vertitur. Verum, si ita velimus  
 inter-

interpretari hunc locum, necesse est loco τῆ διήλθε legamus διήγε, quod etiam est Hippocrateum, ut αινόσως διήγεν, δυσφόρως διάγασιν, διήγον ἐπινόσως, διήγον ὑγιηρῶς etc. quae partim supra occurrebant, et saepius in his libris leguntur. Sed haec lectio minus licet coacta, minus tamen hoc loco congrua seu verius, necessaria est. Ἀπὸ κλυσματίῃς καλῶς διήλθε est: a clysmate bene seu apte processere scilicet τὰ κόπρονα, excrementa, ut tota phrasis mox legitur §. 25. p. 39. §. 34. p. 53. et infr. lib. III. §. 3. p. 64. et alibi quoque: Sic mox in hoc ipso §. 24. p. 37. Φυσώδεα σμικρὰ διήλθε, et sequenti §. 25. p. 38. κατοκορέα πολλὰ διήλθεν, item ἀπὸ κοιλίης ἕδεν διήλθεν, §. 26. ἀπὸ κοιλίης ὀλίγα μέλανα διήλθε: sic et infra §. 30. ἀπὸ κοιλίης καλῶς διήλθε scilicet διαχωρήματα, quod mox sequitur, uti tota phrasis legitur §. 37. porro lib. III. §. 24. p. 100. ἀπὸ κοιλίης ὀψὲ κλυσματίῳ καλῶς διήλθε, ut alia sexcenta taceam. In his igitur locis omnibus ellipsis est, ut dixi, τῶν κοπρόνων seu διαχωρημάτων: Hinc vertendus erat hic locus: Δευτέρῃ κ. λ. Altera die exacerbata sunt omnia: vesperi vero ab adhibito clysmate probe processere excrementa, hucusque scilicet retenta: noctem tunc placide transigit: en effectum iniectae huius infu-

fionis. Hoc autem παράγραμμα absit TIBI imputem V. E. quam illis potius, quos, rebus magis intentus quam verbis, sequutus es.

§. eodem. λόγοι non tam verba sunt quam verbosa nugamenta, fabulae etc. sic sumitur Anacreonti od. XXXVI. et apud Comicos, Terentium imprimis Phormione. Idem fere de λογισμοῖς, quorum saepius in his libris mentio fit, statuen- dum, quod semel dictum fit!

Ibidem. ὡσπερ ἀνακαλιζμένῳ.) quid si legerem ἀνακλινομένῳ resupino, reclinato? certe ad hunc maxime spectat πνεῦμα ἀραιὸν, μέγα. Sed nil adfero, penes TE esto iudicium!

§. 28. p. 44. σκέλεα ἐπιπόνως ἤλγει,) malleim εἶχε, vt mox ἐπωδύνως εἶχε, quod et infra legitur §. 33. pag. 52. ipsa haec phrasis occurrit infr. lib. III. §. 30. κεφαλήν ἐπιπόνως εἶχεν, et alibi.

§. 29. ἄλλοτε ἀλλοίως.) Proba est lectio et Hippocrati in aliis quoque libris familiaris: Ipse etiam Galenus exhibet. Ceterum quod ad sensum, conferri potest libri III. aeger IX. §. 30.

§. 33. πυρετὸς ὄξυς ἔλαβεν.) Abundat hic τὸ ἔλαβεν, quod mox in principio adfuit; expungendum ergo: Similis est locus infra lib. III. §. 3. vbi πῦρ ἔλαβε, mox πυρετὸς ὄξυς, nec aliud postulat

stulat nota Hippocratis βραχυλογία: sed hoc leuius. Maioris momenti illud videtur dubium, quod oboritur circa verba: ὑποχόνδριον ἐπήρτο μετ' ὄγκου ἔλιν συντασις. Certe τὸ ὄγκου ἔλιν συντασις: tumore essentia consistit ἐν τῇ συντάσει: ideoque non video, qui hypochondrium cum tumore potuit eleuari, ita tamen, vt non adeo extenderetur. Aut igitur totus fallor; aut legendum loco τῶν ἔλιν συντασις, σπληνός συντασις, *lienis distentio*, sic κατὰ σπλῆνα συντασις infra dixit *Epidem. VII.* Nam ambo haec symptomata coniuncta sunt supra in Herophonte §. 26. qui cum nostro Clazomenio plurima habuit communia, σπλῆν ἐπήρθη ὑποχόνδρις, συντασις: et infra *lib. III, §. 3.* idem narratur de eo, qui in Dealcis horto decumbebat, similia quoque perpeffus symptomata: σπλῆν ἐπήρθη, ὑποχόνδρις δεξιᾷ συντασις. Sed Eruditi iudicent! Progrediamur ad *Librum Tertium.*

§. 1. Πυθίων. Quamuis ego vulgarem lectionem ceu ἀνακόλυστον, penitus non reiecerim: mallet tamen cum Caluo et Aemilio Porto, aliisque ante eos, adnotante Galeno, legere πυθίωνι ὅς ὤκει etc. ἤρξατο: Sic enim adsolet in his libris loqui Hippocrates.

Supra *lib. I. §. 32.* κρείτωνι ποδὸς ὀδύνη ἤρξατο, *ibid. §. 37.* μελεδίη ἤρξατο κεφαλῆς πόνος, et alibi: οἷσιν ἢ φρενίτις ἤρξατο. Recte igitur et hoc loco πυθίω scribit Lindanus, quamuis rectius πυθίονι, nam sic Galenus legit, vt dixi, et infra §. 24. πυθίωνα scribitur, nisi Lindanus et ipsum casum primum intellexerit. Sed veniunt mihi in mentem, quae Galenus ad duos istos fratres simul aegrotantes *lib. Epid. 1. §. 18.* adnotauit, quum de nomine ipsorum quidam essent solliciti: οἱ μὲν δυνάμεναι, inquit, κατὰ τὴν ἰητρικὴν τέχνην ἐξηγεῖσθαι καλῶς, ἐπὶ τὰς τοιαύτας ἐκτρέπονται περιεργείας. Hinc circa has minutias haud amplius morabor.

*Ibidem. πέμπτη πάντα παροξύνθη:)*  
 Post haec Galenus habet τρόμοι παρέμενον, quod improbandum non est, videtur enim istud postulare id, quod mox sequitur τρόμοι καὶ πάλιν παρέμενον. Hanc Galeni additionem non obseruauit, quod miror, magnus Foesius.


§. 3. p. 65. ἐπ' ὀδύνα) ἐπ' ὀδύνως Tres antiquissimi codd. vna cum Galeno habent, indicante Foessio: recte! sensu quidem vtrumque nihil differt; est tamen


tamen posterius magis Hippocra-  
teum.

§. 6. p. 71. Πέποινα ἔθεν) ἔβησσε πέπο-  
να, *Codices omnes impressi distinguunt, ut  
modice concoctum sputum, non sine labore  
tamen ac vix quidem, intelligatur. Haec  
Föefius in Not. adeoque non omnes  
Codd. impressi, ut adfertur fuit, πέπο-  
να ἔθεν exhibent, nam nec Galenus ha-  
bet, nec Aldus, nec Frobenus denique,  
sed omnes scribunt ἔβησσε πέποινα ἔθεν  
ἀνῆγε. Verum Föefius duobus vetu-  
stissimis Codd. fretus, πέποινα ἔθεν iun-  
xit, quem postea sequutus est Linda-  
nus: optimo hercule consilio. Nec  
enim ab Hippocratis, nec ullius quoq;  
Graeci, mente aliena est phrasis πέπο-  
να ἔθεν s. simile: Sic supra lib. I. §. 3. p.  
5. dixit noster Senex: πέποινα κατ' ὀλί-  
γον, qui locus huc maxime spectat,  
ibidem §. 8. p. 12. ἄρα ἔθεν καθιστάμενα,  
lib. de Diaet. I. §. XIX. μέλεα ἔθεν πρότερα  
γινόμενα, ut alia taceam: sic et hic πῦε-  
λα (id enim subauditur, ut supra in  
principio πῦελα ὑποπέποινα &c.) πέπο-  
να ἔθεν ἀνῆγε, i. e. κατ' ἔθεν πέποινα, con-  
sueta Graecis praepositionis huius  
omissione, quod et, ut notum, Latini a-  
mant, ubi haec praepositio subaudiri  
potest. Sed et illud notum, ἔθεν ele-  
gantius usurpari loco τῶ ἔ. ἔκ, qua ra-  
tione*



tione et Latini τὸ *nihil* adhibent. Ipse Hippocrates in his libris aliquoties : ἕδεν ἐκοιμάτο, ἕδεν ἐκοιμήθη, ἕδεν ἐκλείποντες, καὶ Φίζοντες ἕδεν &c. Ad alios autores nihil hic prouocare attinet, est enim nodum in scirpo quaerere. Necessarium ergo non est legere hoc loco πέπον ἕδεν, quod tamen pace TVA V. E. dictum et scriptum esto!

§. 7. κυναγχικῆ.) Legendum puto casu tertio κυναγχικῆ, sequitur enim ἤρξατο scil. πόν  f. ὀδύνη, quae supra adfuerunt, quae constructio Hippocrati admodum est familiaris, vt paullo supra iui probatum. Caeterum, quod ad subscriptionem huius §i. de ea quid statuendum, pronunciaui superius.

§. 15. p. 84. καὶ ἄφρασις) ἄφρασις per ἐκλυσι καὶ πάρεσιν ἀπάντων τῶν μορίων τῆς σώματι , per relaxationem atque resolutionem omnium corporis partium, in Commentario ad b. l. exponit Galenus. Verum, quum noua haec sit et peregrina huius vocis interpretatio, quaeque in aliis locis, vbi Hippocrates illa usus est voce, ab Foëfio adnotatis, locum non habeat, cogitandum, annon concinuis longe legi possit κάφωσις ἀντι τῆς καὶ ἄφρασις, surditas? praesertim, quum plerumque coniuncta sint λήθη, κάφωσις

Φωσις καὶ ἀΦωίνη, & mox in ipso libro  
coniungantur.

§. 21. Μέγα μέρ (κ. λ.) Haec verba  
a plurimis ad calcem huius libri, sed  
minus opportune, vt ostendit Foësius,  
reiecta, leguntur quoque mox in prin-  
cipio libri de diebus iudicatoriis. Quum

vero ibi quaedam sine sensu leguntur,  
quod tamen nec a Foëfio, nec, quod  
ego quidem sciam, interpretum alio  
fuit obseruatum: alienum non erit ea  
ex hoc nostro loco emendare. Viti-

Locus Hip-  
pocr. emen-  
datus.

um autem potissimum est in his ver-

dis: ὁ, τινὸς σῆμα ἀγαθόν, καὶ ὁ, τι κινδύ-  
νῳδες, ἢ ἐν τῇ κατὰσσει, ἢ ἐν τῇ νόσῳ, quae

ita ab interpretibus vertuntur: quisnam  
morbus bonus, quis periculo coniunctus, aut

in temporis conditione, aut in morbo: Quis-

nam vero est sensus: morbus bonus aut  
periculo coniunctus in morbo? νόσῳ ἐν

τῇ νόσῳ; Expungendum ergo est τὸ νό-  
σημα, ceu absurdum glossema; tunc

sensus erit: quidnam bonum, et quid-

nam periculosum aut in temporis con-

stitutione, aut in ipso morbo. Olim  
putavi, vitium latere in voce νόσῳ, hinc

loco eius Codici meo adscripseram  
ἀνέσει, quod mox aliquoties legitur;

nec sensus est incongruus; quisnam  
morbus non periculosus, et quisnam  
periculosus siue cum in vigore sit con-

stitu-

stitutus, siue dum remittit, ob metum scilicet fortioris palindromiae s. recidivae. Nunc nihil muto et priorem emendationem huic utique praefero.

§. 23. Τὰ περὶ τὴν γνώμην μελαγχολικά.) Haec mihi scholion esse videntur vocum antecedentium, quales ἄθυμος, ἀγρυπνῶ, ὄργαι, δυσφορία, ab aliena tamen manu adscriptum: quis enim his signis auditis non cognoscat τὰ περὶ τὴν γνώμην μελαγχολικά s. ut alibi ipse loquitur Hippocrates, τὰ τῆς γνώμης ταραχώδεα;

§. 24. ἡμέρη δι' ἡσυχίης.) Legendum puto stilo Hippocratis, ἡμέρη, ut paullo ante et alibi saepius νύκτα: Sic alibi in his libris νύκτα μετρίως, καὶ τὴν ἐπίστασαν ἡμέραν

§. 34. p. 114. κατεκλίθη καὶ ἐξεμάνη.) Diu est, ex quo hunc locum non recte se habere cognoueram; dum hunc librum reuoluo, video me ita ad marginem scripsisse παρεκρέθη καὶ ἐξεμάνη, memini enim, me haec ambo coniuncta alicubi in Hippocrate legere: Sed paullo audacior mea est, fateor, coniectura; hinc TVAM emendationem et facilem et rectam recipere nullus dubitavi.

Et haec fere sunt, quae ad hos Epidemiorum libros breuiter et festinanter

ter obseruare volui, immo et potui: plura erant in promptu; sed quum ea partim leuiora, partim maioris quoq; essent momenti, quaeque hinc maiorem requirerent adparatum et verbosiorum Commentationem; neutrum volui adiicere, ne Tibi per prius viderer molestiam creare; per posterius autem librum potius (libellus enim iam fere est) quam epistolam conscribere: praesertim, quum aliqua adhuc restant, quae intacta et inexplicata hoc loco relinquere nefas esset futurum. Jamque venio ad *Nouem* istos Tuos *Commentarios* totidem praeclarae *TVAE* industriae et incomparabilis doctrinae tropaea. Satis enim in iis ostendis, TE, quod olim de ipso Hippocrate adseruit Celsus, *Virum esse et arte et facundia insignem*. Posses hic quidem, immo deberem ante omnia, experientiam TVAM practicam, et elegantem medendi methodum laudare ac commendare: verum quum mea opera iam sola versetur circa Hippocratem, quaedam, impetrata abs TE venia, de ipso supersunt dicenda, quae ibi passim de eo in medium adferuntur.

*De Nouem  
Cl. Editoris  
commentariis.*

Ex primo igitur *Commentario*, qui maxime de *Ratione* agit scribendi, quam in

*Commentariis primis.  
bis*

*Hippocra-  
tes saepe et  
necessaria  
omittit.*

*Hippocra-  
tes saepius  
alieno loco  
refert, quae  
in proprio  
reticentur.*

*his Epidemiorum libris tenuit Hippocrates,*  
id in praesenti notemus, Hippocratem  
saepissime breuitatis studiosum fuisse  
adeò, vt et ea, quae necessaria essent,  
vt notarentur, silentio praeterierit,  
certe sibi persuadens, in arte medica  
versatum futurum esse neminem, qui  
haec nesciret, atque adeo non praesup-  
poneret: *Scriptit nimirum, per mitte*  
*V. E. vt Tua hic mea faciam, vt artifex*  
*artificibus, breui quidem subtilique dicendi*  
*genere vsus, sed expolito atque intelligenti-*  
*bus noto.* Hinc quum in *Tertio Epide-*  
*miorum libro §. XXIX.* semel tantum  
meminit Venaesectionis Octauo die  
a se administratae, fas est cum Galeno  
adserere, eum multo sane prioribus  
diebus magis hoc vsum fuisse praesi-  
dio, praesertim, vbi morbi atrocitas  
v. g. anginae, pleuritidis, ophthal-  
miae etc. eam necessario requireret,  
vt libro Epidemiorum secundo in pri-  
mis, ne alios adducam libros, omni-  
bus fere paginis docet ac inculcat,  
item, venam saepius percussisse, vbi  
scil. necesse, et remedia quoque adhi-  
buisse, licet horum nihil quidquam  
indicauerit. Sed et hoc in Hippocra-  
tis scriptis notatu est dignum, quod  
ille interdum ex alieno, vt ita dicam,  
loco referat, quae suo loco, vbi potis-  
simum

simum erant commemoranda, penitus reticentur, ex quo factum est, ut Hippocrates multa nesciisse diceretur, quae tamen reuera non ignorauit, sed tantum eo loco, ubi ea inueniendi spes erat firma, ut modo dixi, non meminit. Hinc ille, qui recte iudicaturus est de Hippocratis placitis, item de iis, quae uel sciuit, uel nesciuit, aut, quod idem est, obscurius paullo proposuit, necesse est, omnia prius genuina ipsius scripta haud supine legat, seduloque inter se conferat, quam certi quid velit statuere. Secus enim optimo illi Auctori pessimam illaturus est iniuriam, dum ipsi ignorantiae cuiusdam iaurit notam, quam tamen ille potius meruit, qui iudicat, quam qui iudicatur.

*Quid ille debeat obseruare, qui de Hippocr. placitis iudicare velit.*

Hoc ad eos imprimis pertinet, qui Hippocratem doctrinam de pulsibus non calluisse prorsusque neglexisse satis audacter adserunt, quorum sententiam TV V. E. in *Commentario Secundo*, ad quem nunc progredior, allegasti quidem, absit tamen, ut Tuam esse credam. Versati sunt in hac opinione, aut, ne quid dissimulem, errore, et priscorum et recentiorum multi, quorum antesignanus fuit Galenus: Hic ne tantae molis *de pulsibus* libros

*Commentarius Secundus: De iis, quae Hippocratem pulsuum doctrinam non calluisse, adseruerunt. Galenus eorum Dux.*

D frustra

*Cur Gale-  
nus dixerit,  
Hippocra-  
tem pulsus  
ignorasse.*

*ap. Bar-  
chus. Dial.  
XIV.*

*Pulsus fal-  
lax est et  
incertus.*

frustra conscripsisse videretur, causam, quam suae eloquentiae, immo loquentiae potius et garrulitatis allegaret, aptiorem sane non habuit, quam si diceret, pulsuum tractationem in Hippocrate desiderari, atque hinc necessario a se fuisse adiiciendam. Equidem id cum Cl. Clerico lubens fateor, pulsuum doctrinam a nemine fere fusius et accurarius fuisse pertractatam, quam ab illo ipso: Verum nec illud est negandum, eandem ab eodem adeo amplificatam fuisse et etiamnum amplificari a Medicis praesertim Sinenfibus, ut abunde probat *Andreas Cleyerus*, ut si curiosum et utile aequali lance expenderis, illud huic multo praeponderare facile deprehendas: Hoc vel ipse confirmat Galenus, quum enim *septendecim* de pulsuum historia atque natura composuisset libros, vnus sequitur isque perbrevis *de pulsuum usu et necessitate*: Hanc etiam *Tityre, duco*. Ut enim dicam quod res est, Medicorum plurimi plus sibi utilitatis fingunt ex sedula pulsuum exploratione, quam re ipsa habent. Quis nescit sanguinem nunc iusto viscidiorum, nunc serosiorum, hincque fluidiorum pulsuum referre posse praeternaturalem, h. e. languidum aut accele-

celeratum? in subiectis πολυσάρκοις  
 angusti arteriarum labyrinthi, et his  
 superstrata cum pinguedine caro sae-  
 pius quoque pulsum tardum reddunt,  
 et ad speciem imbecillum, ipsis nihi-  
 lominus sanis admodum et vegetis  
 existentibus. Immo nec ipsae sibi  
 semper respondent arteriae, quum  
 dextra saepius alium referat motum,  
 quam sinistra, et versa vice. Est et non  
 raro ipsius Explorantis manus in cul-  
 pa, ut arteria secus pulset ac naturâ  
 solet, siue fortiter constringendo aut  
 comprimendo, siue leuiter, aut manu  
 frigida, attingendo, ut alia taceam:  
*Sic venis credimus fallacissimae rei; quia  
 saepe istae lentiores celerioresue sunt, et ae-  
 tate, et sexu, et corporum natura, ut Celsi* Lib. III.  
 verbis utar abs TE, V. E. etiam allega-  
 ti: quibus adiiciam, quae Bonetus ex Lib. I. p. 15.  
 Ballonio refert in *Pharo Medicorum*:  
*Difficile est circa pulsus iudicium, et magno  
 aegrotantium incommodo in ista haeretur  
 difficultate, prout enim quisque variam ha-  
 bet de pulsu opinionem, ita varie corpus ae-  
 grotum exercet, etc.* ut taceam hic, quae  
 ingeniosissimus Pechlinus et incom-  
 parabilis noster Bohnius de hac re no-  
 tauit. Quid igitur mirum, si Hippo-  
 crates, ut ad eum redeamus, probe for-  
 te perspiciens hasce circa pulsus vani-  
 D 2 tates,



tates, pulsuum doctrinam non adeo verbose proposuit atque vbique commendauit, licet signorum ex ipsis petendorum vsum, quem nemo penitus negabit, non reticuerit, sed, vt infra palam demonstrabitur, breuiter quidem et sparsim, vt ipsi moris; solide tamen docuerit? Hinc concedo, Galenum pulsuum doctrinam adiecisse quidem illis Hippocratis locis, vbi de signis prognosticis erat sermo; pulsus autem ibi deficientis necessario facienda erat mentio: non autem Medicinae in vniuersum, vt vulgo adferitur. Nam nec ipse illud velle videtur loco abs TE, V. E. allegato, qui est in libro *περὶ κρίσεων Tertio*, non *Quarto*, vt allegatum fuit, (nam ipse Galenus in fine istius libri testatur, superuacuum fore, si quartum adderet.) Posteaquam enim quaedam ex Hippocratis *Prognostico*, item libro *Epidem. I.* & aliunde, adduxisset loca, in quibus nullum deficeret γνώρισμα τρόπου κρίσεως, et omnia dicta essent ab Hippocrate χωρὶς τῶν σφυγμῶν, exceptis pulsibus, haec subiungit: ἔπειθ' αἱ δ' οἱ πολλοὶ βραχυλογία παλαιᾷ μὴ γεγυμνασμένοι, λείπειν οἰοῦνται τινὰ. λέγωμεν ἔν ἡμεῖς αὐτοῖς ἑτέρα λέξει σαφεῖ τὰ αὐτὰ. Ex quibus verbis clarissime patere arbitror, Eum  
 hisce

hifce tantum locis, in quibus Hippocratis breuiloquentia pulsus *intactos* reliquisset, eosdem additurum, nec aliter potuit scribere, quum alio loco infra a nobis proferendo aperte fateatur, Hippocratem pulsus explorandi artem non ignorasse. Sed vastus ille Galeni fastus statim sese luculentius prodit, paucis post interiectis, vbi sui oblitus, ita exclamat: ἀλλὰ τὰ μὲν ἀπὸ τῶν σφυγμῶν ἢ ὡς ἐγνώσκων ὁ ἰπποκράτης, ἢ ὡς ἐκ ἀξιόλογα νομίζων ἐκ ἐξεργάσατο, quod et propemodum repetit Lib. de Praecognitione c. XII. Licet igitur posterius verum esse posset ex causis supra datis: neutrum tamen est verum; nam et calluit Hippocrates pulsum scientiam, et ceteris paribus, eam quoque magni fecit, vt ex locis patebit infra a nobis ex ipso Hippocrate producendis.

Sequuti interim sunt, vt fieri solet, magnum hunc ducem errantem licet, ex antiquioribus Theophilus Protospatharius, aut, vt alii volunt, Philaretus, qui librum *de vrinis et pulsibus* composuit, Stephanus Atheniensis, qui in ipsius Galeni priorem ad Glauconem librum *therapeuticum* commentatus fuit, et alii, quorum iam non memini. E recentioribus est Theodorus Zuingerus

*Galeni in hoc errore Sectatores antiqui.*

*Recentiores Sectatores.*

*Praef. commentar. in Hippos.*

superius mihi laudatus, qui si non fatis vere; fatis tamen modeste, vt solet, scribere, Hippocratem *exilem pulsuum habuisse notitiam*. Sed rigidior est censura Francisci Fogerolari, hominis, si philautiae responderet eruditio, citra controuersiam doctissimi, qui postquam de sphygmiorum signorum loquutus est differentiis, hoc dignissimum sua ignorantia subnectit epiphonema: *Hoc genus prognoseos videtur Hippocrates neglexisse, aut frigide excoluisse: iudicium fatis frigidum, immo hyeme Gallica frigidius*. Alios, qui ad nostra propius accedunt tempora, iam non nomino, sunt enim plures, qui veterum vestigiis, vbi errant, tuto insistant: Nec mirum, quum nostris hominibus sordeant plerumque Hippocratis aliorumque veterum scripta, ita, vt mihi noti sint Medici, quibus praeter Aphorismos, nihil vnquam aliud de Hippocrate visum fuit. In eorum vero, qui Hippocrati pulsuum scientiam dubiam reddere conati fuerunt, numerum referendus est potissimum Hermannus Conringius, qui in *Introduct. in Art. Med. Cap. VI. p. 215.* in huncce loquitur sensum: *Notandum est, in scriptis Hippocraticis de pulsibus perpauca tradita reperiri, immo vix unum ac alterum locum*

*Method. in  
Hipp. Aph.  
inaudit. c.  
VI. p. 24.*

locum occurrere ; certe inter signa morborum  
 nusquam pulsus relatus legi: Haec qui-  
 dem ille. Sed, aut non legit omnia  
 Hippocratis scripta Vir ille multiscius,  
 aut, si legerit, oblitus est, Hippocra-  
 tem variis in locis infra a me allegan-  
 dis, pulsus omnino inter morborum  
 signa retulisse. Clarissimus Schelham-  
 merus in *Additamento ad illud Conringii*  
*Cap. p. 225. sqq.* paullo quidem mitius  
 sentit, variaque ex Hippocrate allegat  
 loca, quae illum pulsus tetigisse argu-  
 unt: Verum veritati potius, quam  
 Conringii manibus vim inferre vult  
 Schelhammerus; hinc librum Hip-  
 pocratis de *Alimento*, item de *Humori-*  
*bus*, in quibus, vt infra patebit, claris-  
 sima et inexpugnabilia de pulsibus ar-  
 gumenta et testimonia extant, nulla  
 fronte, nullaque ratione, et contra  
 veterum consensum, in dubium vocat,  
 eorumdemque auctoritatem suspe-  
 ctam reddere, irrito quamuis conatu,  
 allaborat.

Clarissimus tandem Clericus, cui,  
 vt Tuis verbis, immo totius orbis lit-  
 terati, vtar, de Medicina vetere accu-  
 ratissima debemus Commentaria, o-  
 stendit quidem e variis ex Hippocrate  
 petitis locis, pulsuum quandam ha-  
 buisse notitiam diuinum illum virum.

*Etiam Cl.  
 Clericus eos  
 sequitur.*

Verum, vti semper fere cauet idem doctissimus Vir, ne nimium tribuat Hippocrati: ita et hic putat, illum pulsus non adeo attendisse, paucaque tantum de iis praecepta dedisse, quia raro eorundem meminerit, vbi tamen aliorum signorum, et leuiorum interdum, facta fuit mentio, vt in Epidemiorum libris et alibi: Immo loco alio, vbi Galenum propter incomparabilem pulsum thesaurum nobis ab ipso relictum, ἐγκωμιάζει, palam confitetur, Hippocratem hanc de pulsibus materiam admodum superficialiter tractasse.

*Hist. Med.*  
*P. III. L.*  
*III. c. 3. P.*  
*137.*

Verum, quid ad hanc obiectionem de Hippocratis silentio et quidem particulari tantum, s. vt ita loquar, locali defumtam, responderi possit, in antecedentibus iam a me dictum est. Solet enim Hippocrates rem centies non repetere, nec, quod Galenus amat, ἐλέφαντα ἐκ μύιας ποιεῖν, vt tritum fert adagium.

*Luc. de Em.*  
*com. Musc.*

*Qui con-*  
*trarium*  
*statuunt.*

Primus igitur qui contrarium statuit, (nam et Foësius fluctuat, etsi ex ipso Hippocrate aliud fuit edoctus) est, nisi fallor, Rodericus à Fonseca, qui elegantissimum in *Hippocratis Prognostica* scripsit commentarium: Is, licet Hippocrates etiam ibi pulsum mentionem, vt debebat, non fecerit: illo

illo tamen silentio ne quidquam per-  
 motus, abunde probat ex aliis Hippo-  
 cratis scriptis a Cl. Clerico praetermis-  
 sis, ipsi pulsum naturam nequaquam  
 fuisse ignotam: sed hoc solum in loco  
 ab eo neglectam ceu minus certam,  
 quod et in sequentibus ulterius de-  
 monstrat, cui tamen adserto ego peni-  
 tus haud subscripserim. Quia vero  
 Vir ille eruditus haec quasi in transitu  
 dixit, nec loca ipsa adscripsit, sed tan-  
 tum indicavit: superest, ut promissi  
 mei memor et illa loca ex ipso desum-  
 ta producam, illaque novis a me ob-  
 servatis confirmem, aliaq; insuper ad-  
 dam argumenta, quibus admissis (po-  
 terunt autem, immo debebunt admit-  
 ti) pulsum doctrina Hippocrati tan-  
 quam inuentori erit restituenda. Hip-  
 pocrati inquam inuentori: Is enim,  
 teste ipso Galeno, loco infra adscriben-  
 do, omnium fecit primus, qui σφυγμὸν  
 quemuis arteriarum motum nuncu-  
 pavit, quum ea tantum vox significa-  
 ret τὴν ἐπὶ φλεγμονῇ κίνησιν αἰσθητικὴν,  
 sensibilem in inflammatione seu parte  
 quadam inflammata motum et subsul-  
 tum, siue ille oriretur a sanguinis re-  
 fluxu (is enim nec Veteribus omnibus,  
 certe Hippocrati ignotus non fuit) im-  
 pedito, atque hinc nisi quodam sese

*Comment.  
 in Prognost.  
 p. 37.*

*Hippocra-  
 tes hodiernū  
 pulsus signi-  
 ficatus in-  
 ventor.*

*Quid apud  
 veteres fue-  
 rit pulsus.*

mouente ; siue a materia purulenta  
 seu acri in loco quodam subcutaneo  
 collecta et cum impetu quodam exitum  
 per cutem seu tumorem moliente,  
 siue aliunde ortum duceret, quod  
 Erasistratus in primis fecisse dicitur, ut  
 saepius contra eum disputat Galenus  
 locis pluribus ab Foëfio in Oeconomia  
 allegatis. Hippocrates contra,  
 quamuis etiam aliquando hunc loquendi  
 retinuerit modum, ut idem post  
 Galenum obseruauit Foëfius :  
 proprie tamen σφυγμὸν omnem, ut dixi,  
 arteriarum motum appellat, et motus  
 illos in inflammatione pulsatorios  
 quos dicunt, nunc παλμὸς, nunc  
 vero πηδησμὸς vocat, ut ex libro patet  
*de Humoribus, ex Epidemiorum Secundo et  
 Septimo* aliisque locis, ut itidem adnotauit  
 Foëfius saepius iam citatus, qui et ibidem  
 ex binis Galeni locis refert, quendam  
 Aegimium Heliaeum seu Helium, ut loco  
 altero scribit Galenus, omnem arteriarum  
 motum secus ac Hippocrates fecit, vocasse  
 παλμὸν.

*Hippocrates cum  
 uer- bali pulsus  
 usu scivit  
 etiam eiusdem  
 realem.*

Quis igitur ex his quaeso non colligat,  
 Hippocratem nec frustra inuenisse nouum  
 τῶν σφυγμῶν significatum, nec usum  
 illius realem nesciisse, et propter eum  
 adeo inuentam fuisse ab eo peculiarem  
 illam notionem? an

enim

enim probabile, Virum illum, qui, p̄so Galeno teste, vix verbum sine ratione et necessitate protulit, et nonnunquam ad vitium fere (sit venia dicto!) fuit βραχυλόγος, entia, quod aiunt, hac quidem in parte multiplicasse, et per iocum solum atque otium nouam *pulsus* significationem excogitasse? Hoc sane argumentum tanti est, credo, momenti, vt sufficeret ad illorum dicteria confundenda ac confundenda, qui Hippocratem pulsuum doctrinam frigide excoluisse perhibent; etiamsi paruum esset in ipsis Hippocratis scriptis praesidium subsidiumue, quod tamen vtrumque ingens est, vt mox videbimus, adeo, vt, quo se vertant aduersarii, haeream vtique immo desperem. Hinc et Galenus huius argumenti sentiens quam graue sit pondus, velit nolit, hunc in modum scribere cogitur: πρῶτον μὲν ἐν ἀπάντων ὧν ἴσμεν Ἱπποκράτης, τὸ, τε ὄνομα τῆς σφυγμῆς γράφει, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τέχνην ἧκ ἀγνοεῖν ἔοικεν: quae autem ibi sequuntur, vix digna sunt quae adscribantur, quum plena sunt nimii Galeni in se adfectus, et veritatem obtrectandi studii: de quibus olim iam conquesti sunt Prosper, Martinus, Scalliger, et alii Viri grauissimi.

*Ipsa Galenus fatetur. Lib. de puls. diff. I.*

Ad-





Adponam tamen, ne hoc ipso vitio ego laborasse videar: ἔμην, pergit, ἔτ' ἐπιπλέον ἐξαιργάσατο τὸ τῆς τέχνης ἔτ' ἐπὶ πάσης ἀρτηριῶν κινήσεως τὸνομα φέρει; Vbi prius quidem verum esse potest, si μακρολογία ἔκ' ἀναγκαία, (sic ipse loqui amat Galenus, vbi alios confutat, vbi de Thucydide loquitur etc.) idem sit ac necessaria solitaque demonstratio et explicatio: Nam sibi ipsi placuisse Galenum, quum magnos et verbosos scriberet libros, eruditus satis est notum; fieri autem haud potest, vt, quum multum scribitur, vtile semper scribatur et necessarium, id enim vtplurimum copioso commentario non indiget, sua scilicet interna virtute commendabile et coruscans, quod obseruat Hippocrates; Galenus contra saepius negligit, de quo iam supra actum est. Alterum vero, ne et id obliuiscamur, veritati, ignoscat mihi Galeni vmbra, plane est contrarium, nam omnem omnium omnino arteriarum motum σφυγμὸν seu pulsus nominauit Hippocrates, nec ego vllum noui locum, in quo ille quandam adhibuisset distinctionem: Et

*Galenus sibi  
contradicit.  
Lib. quod*

quid multa? Galenus se ipsum confodiat, sic enim alibi in contrarium scribit: ἵπποκράτης δὲ ὡς πρῶτ' ἀρχὰς τῶν

μετὰ

μετὰ ταῦτα κρατήσαντ' ἔθους εἰρηκῆ πρ  
 γφυγμὸν ἀπασῶν τῶν ἀρτηριῶν τὴν κίνησιν,  
 ἡποία τις ἂν εἴη, quem locum, luculen-  
 um de leuitate animi Galeni testem,  
 iam superius indicaui. Sed et idem  
 Galenus alibi memoriae prodidit,  
 Hippocratem, adpropinquantem mor-  
 tem in quodam aegro ex pulsu cogno-  
 uisse, et tamen, quod sane mirum, idem  
 Hippocrates, signa ex pulsu petenda,  
 ex ipsius opinione, ignorauit. Videant  
 igitur, qui Galenum defendant, qui  
 cum eodem errare malunt, quam ipsi  
 contradicere, *quique, quidquid ille dicit,*  
*in Delphis sibi responsum putant, vt lepide*  
 Afellius.

*animi mor.  
 seq. temp.  
 corp. s. lxx.*

*De Ven.  
 Laet. c. XXI  
 p. 65.*

Sed quid vetat nunc ad illa ipsa  
 Hippocratis loca progredi? Princeps  
 fere, et qui ceteris alimentum submi-  
 nistrat, extat in libro de Alimento, ge-  
 nuino, Erotiano teste, Hippocratis scri-  
 pto, et in quem ipse adeo Galenus  
 commentarium scripsit: hunc tacet  
 quidem Cl. Clericus; indicat autem  
 Rodericus a Fonseca supra laudatus,  
 ego vero adscribam: Φλεβῶν διασφύ-

*Loca Hip-  
 pocratis de  
 pulsibus.*

ξίες καὶ ἀναπνοὴ πνεύματ' (seu vt alii  
 non inepte volunt, πνεύμον) καὶ  
 ἡλικίην καὶ ξύμφωνα καὶ διάφωνα, καὶ νέσος  
 καὶ ὑγείης σημεῖα καὶ ὑγείης μᾶλλον ἢ νέ-  
 σος, καὶ νέσος μᾶλλον ἢ ὑγείης: quo certe  
 loco nihil est luculentius, si enim Ve-

*s. X.*



narum i. e. stilo Hippocratis, et qui eum sequuti, Platonis, Aristotelis aliorumque, arteriarum (vide passim Galenum a Foëfio in Oeconomia allegatum item Erotianum voce *Φλενοδάδν* etc. et Asellium *de V. L. c. XI.* item Agellium seu rectius A. Gellium *N. A. XVIII, 10*) pulsus cum respiratione pari ambulat passu, vt fere ambulat, an tantum, obsecro, et morbi et sanitatis, quin immo vitae signum erat neglecturus Hippocrates? quis illud credat? quis asserat sine pudore? Ipse Galenus hanc adprobat sententiam libro seu libello potius de pulsuum usu, eamque ceu ab omnibus Medicis aequae atque Philosophis probatam allegat, licet Hippocratis ibi non meminerit. Sed pergendum: Libro *de Locis in Hom.* qui Erotiano, Galeno, Ruffo Ephesio, Caelio Aureliano testibus, germanissimus Hippocratis est foetus, et in quo, vt id obiter inseram, multa de sanguinis circulo egregia, ab ipso diligentissimo Almeloueenio omissa, continentur, illo inquam libro pulsuum causa adumbratur (occasione arteriarum temporalium, semper, vt alicubi et hoc ipso loco indicat Hippocrates, pulsantium) sanguinis puta et adfluentis et refluentis contrarius nifus

ius et occurfus; Verba inter alia haec  
 iunt: ἐνταῦθα ὠθεύμενά τε καὶ κυκλόμε-  
 α σφυγμὸν παρέχουσι τοῖσι φλεβίοισιν.  
 Porro: Libro Praedictorum Secundo,  
 iuadet Hippocrates (cur enim non cre-  
 damus Hippocratem eum scripsisse li-  
 brum, quum Celsum, Opsopoeum,  
 Foesium, immo ipsum ex parte Gale-  
 num habeamus ὁμοψήφους;) vt Medi-  
 cus aegroti tangat corpus, sed et ve-  
 nas seu arterias: ἔπειτα, inquit, τῆσι  
 χερσὶ ψάυσαντα τῆς γαστρὸς τε καὶ τῶν  
 φλεβῶν, ἧσσόν ἐστιν ἐξαπατάσθαι, ἢ μὴ  
 ψάυσαντα. Dum huncce librum ver-  
 so, video locum insignem a me olim  
 persanatum, quem hac occasione, ve-  
 luti intransitu, indicabo:

s. V.

§. XXIX. Vbi de oculi affectioni-  
 bus inter alia agitur, haec leguntur:  
 πάντων δὲ χερὶ μάλιστα τὴν κατάσασιν  
 τῶν ὀφθαλμῶν ἐν τοῖσι περὶ τῆς ὀφθαλμῶν ἐν-  
 θυμείσθαι. οἱ γὰρ καιροὶ ὀξείες: sed quid  
 urinae status in oculorum morbis?  
 quis unquam illud quaeso docuit pa-  
 radoxum? Videat ergo Foësius, qui  
 doctorum ludibria euitet, dum sal-  
 uum esse hunc locum credidit: Nos  
 cum Opsopoeo dubitamus omnino;  
 ipsi tamen non adstipulamur, dum lo-  
 co τῶν ὀφθαλμῶν, ὡς f. ὅλγ legere vult, quod  
 et Lindanus (prius nimirum) in tex-

Locus Hip-  
 pocratis  
 obiter  
 emendatus.

tum

tum recepit: Prius igitur plane est absurdum; alterum autem, quod Obfopoei est, nimis generale, nam temporis constitutionem in omnibus in vniuersum morbis sedulo esse obseruandam, saepius docuit Hippocrates. Hinc *urinam* effundamus eo, quo alias pertinet, et *tempus* elabi patiamur, nam neutro indigemus, si legamus, vti sane debemus, τὴν κατάστασιν τῆς κόρης *pupillae statum*: Nam de pupillis in antecedentibus dixerat; et quis nescit, in ophthalmicis pupillae, vtpote tenerrimae texturae partis, rationem maxime esse habendam? quum ea facillime officii possit et corrumpi, hinc et Hippocrates bene addit αἰ γὰρ καὶ οὐδὲν ὄξυς, *periculum enim in mora*, quod dictum male adhibuit Opsopoeus ad defendendum suum *intempestiuum* ὄξυς. Sed in viam redeamus e diuerticulo! Libro de *Humoribus* vere Hippocratico, asseuerante Erotiano atque Galeno, qui tres in eum conficisse dicitur Commentarios, inter signa, quae Medicus obseruare debet in aegrotis, et ex quibus morbos iudicare licet, recensentur etiam σφύγμοι, *pulsus*: locum hunc, vt candidè agam, indicauit iam Fonsæca, reticuit vero Cl. Clericus. Sed et pulsum diffe-

s. III.

differentias s. species, si non omnes;  
 has tamen, quae praesertim adnotari  
 merentur, indicat Hippocrates cla-  
 rissime Libro de *Mulierum Morbis pri-* s. LXIII.  
*mo* (vere suo, testibus Erotiano atque  
 Galeno etc.) his verbis: σφυγμοὶ  
 βληχεροὶ, ἐστὶ δ' ὅτε καὶ ὀξείες, ἄλλο τε  
 εἰρηόμενοι, ἄλλοτε ἐλλείποντες: Simili-  
 er Libro de iisdem *Morbis secundo:* s. XIII.  
 σφυγμοὶ πρὸς χεῖρα ψαίροντες, βληχεροὶ  
 κλείποντες καὶ αὐτίκα ὀλλυνται, quae  
 verba, et imprimis τὸ ψαίροντες ita  
 παραφράζει Erotianus: οἱ μὴ εὐτονοὶ  
 (sc. σφυγμοὶ) ἀλλ' ἐκ διαλειμμάτων  
 κἀθενῶς πλήττοντες: Videri etiam po-  
 test Foesius in oeconomia. Libro de  
*Morbis Tertio* etiam Galeno Caelioque s. I.  
 testibus, ab Hippocrate scripto, dici-  
 tur, quod in cerebri tumore φλέβες τέ-  
 τανται καὶ σφύξουσι: Sic et in Libro de  
*Medici officina*, Hippocrates (eius enim s. XIV.  
 est hic liber, vt fatetur Erotianus et  
 Galenus, qui et in eum amplum pro-  
 more scripsit commentarium) Medi-  
 co iubet, vt capiti, pectori aliisque  
 corporis partibus fulcimenta subster-  
 nat et stabilimenta τῶν σφυγμῶν ἐνεκεν,  
 ὡς μὴ ἐνσείεσθαι, quod et paullo infra  
 repetit. Tandem elegantissimum il-  
 lum adscribo locum, quem allegat  
 Erotianus voce φλενοδῶδη: τὰ ἐν γι-  
 νόμεναι

νόμενα ῥίγεα μεθ' ἡμέρην κατὰ νύκτα ἐπιπαροξυνόμενα ἀγρυπνίην ποίει, καὶ τὰς φλέβας δονέει καὶ ταράσσει, καὶ πυκνότετον καὶ σφοδρότατον τὸ κίνημα ποίει.

Putat Foefius, ne quid ego dissimulem, locum hunc esse ex *Coacis praenoctionibus* atque sic ab Erotiano

παραφραζέμεντα: Verum ego id non puto, nec alius forte putet; sic enim scribit Erotianus: Φησὶ γὰρ αὐτὸς ἱ. Hippocrates, hic sane nihil cogitandum de paraphrasi. Sed crediderim

ego, illa supra allegata verba esse omnino Hippocratis, sed deperdita hodie, nisi iam alicubi extant in scriptis Hippocratis, nec a Foefio, nec a me adhuc observata. Quem enim fugit,

multa Hippocratis scripta intercidisse, quaedam etiam mutila ad nos pervenisse et deprauata? Unum adhuc circa hunc locum adferam: Dicit ibi

Erotianus: καὶ ὁ Δημόκριτος τὴν φλεβοπαλίαν καλεῖ τὴν τῶν ἀρτηριῶν κίνησιν. Hanc vocem in dubium vocat

Foefius et legendum esse contendit

*Locus Erotiano obiter restitutus contra Foef.*

φλεβοσαλίαν ἢ φλεβοσαλείαν: Verum, nisi fallor, frustra hunc locum sollicitavit doctissimus hicce Vir: φλεβοπαλία enim est ἀπάλω, agito, vibro, vnde πάλος, παλμὸς, πάλμα, agitatio, aestuatio etc. et idem significat ac Foefii

φλε-

φλεβοσαλία. Sed haec in transitu!  
 Probat ceterum et hic locus pulsuum  
 doctrinam satis esse antiquam et circa  
 Hippocratis tempora iam tum notissi-  
 nam: Constat enim ex monumentis  
 idē dignis, Democritum illum Gela-  
 inum, vt penes Aelianum est, Hippo-  
 crati fuisse σύγχερον: Immo Celsus  
 aliique tradunt, eum adeo Hippocra-  
 tem erudiisse, quod tamen qui sit in-  
 telligendum, *alibi* explicauī, iam tem-  
 pus illud non permittit, nec hoc loco  
 necessarium est ista curatius pertra-  
 ctasse: Potius nostrum institutum  
 prosequamur. Poteram scilicet locis  
 hactenus a me allegatis iam ea adde-  
 re, quae a Cl. Clerico fuere obseruata,  
 atque nunc ex *Coacis Praenotionibus*,  
 vbi de *lethargicorum pulsu segni*, nunc *Se-*  
*undo et Quarto Epidemiorum* libris, vbi  
 inter alia *de pulsu in febribus acutissimis*  
*insigni et denso s. frequenti*, desumpta,  
 notatu sane dignissima, et singularem  
 Hippocratis in pulsibus examinandis  
*ἐκρίθειαν* satis superque comprobantia:  
 Verum actum nolo iam agere, nec  
 veritatem suis iam radiis praefulgen-  
 tem amplius i. e. incassum, illustrare.  
 Id autem hoc loco miror et magnope-  
 re miror, qui Cl. Clericus tam confi- *Cl. Clericus*  
 denter scribere potuerit, in *Epidemio-* *refellit.*



rum libris nihil fere reperiri, quod de pulsu agat, quam duo illa loca a se citata: Siue enim per duo ista loca reuera intellexerit loca illa, quae ex II. et IV. vt dixi, *Epid. libb.* allegant; siue, quod tamen non crediderim, duos istos libros ita adpellauerit; neutrum sane ferri potest. Nam et in istis duobus, et in ceteris *Epid.* libris loca inueniuntur, vbi pulsus facta fuit mentio, a Cl. tamen viro neglecta. Vt hoc probem, liceat mihi aliqua hic adnotare, prout sese mihi aliud quaerenti obtulerunt. *Lib. Epid. II. S. VI.* haec leguntur: ἦν αἱ φλέβες σφύζωσιν ἐν τῆσι χερσὶ -- χροῖνῃ ἢ νῆσος γίνεται. *Lib. Epid. IV. §. X.* *Edit. Lind.* (eam enim semper allego et allegaui, vt supra iam dixi) φλεβῶν σφυγμοὶ παρ' ὀμφαλὸν, hic locus proxime praecedat eum, quem ipse laudat Cl. Vir, vbi de pulsu vehementia in febribus acutis agitur, vt supra subindicaui. *Libro eodem §. XXIV.* οἱ σφυγμοὶ expresse inter signa prognostica referuntur, quod et in aliis locis diuinus fecit senex superius adnotatis: hic sane locus prae reliquis notari meruisset. Sed ad ceteros libros nunc progrediendum. *Libro V. §. V.* de Gorgiae vxore per quadriennium mensium suppressio-

nem

nem perpeffa dicitur σφυγμὸν παρῆ-  
 χε καὶ βάρος ἐν τῇ μήτρῃ: *Ibid.* §. XXIV.  
 σφυγμὸς ἐν κροτάφοις commemorat-  
 tur: porro *lib. VII.* §. II. vbi Pytho-  
 dori febris tractatur, σφυγμὸς ἐκ ἔλι-  
 πεν. *ibid.* §. III. de Eratolai filio κατὰ  
 κροτάφου σφυγμὸς ἦν, cuius pulsus ad-  
 huc aliquoties in hoc libro iniecta  
 fuit mentio, vt § §. V. XVIII. XXI,  
 XLII. etc. *ibid.* §. XV. de Theodori  
 uxore febre acuta correpta: ἦν δὲ πρὸς  
 χεῖρα ψυχρότερον τὸ σῶμα ταῖς ἀρτη-  
 ρίαις: sed notetur potius *ibidem* §. XLI.  
 vbi haec de Pherecyda: ἀδηλος σφυγ-  
 μὸς σφόδρα ἐν μετώπῳ. Φλεβῶν βάρος  
 ἐν τῆσιν ὑποστροφῆσι κ. λ. pulsus fron-  
 talis saepe in aliis quoque locis me-  
 minit Hippocrates, quod indicasse suf-  
 ficiat. Haec loca, licet, paucis exceptis,  
 leuia videantur, id tamen probant,  
 quod debebant probare, quod mihi,  
 vt spero, vitio haud vertet Cl. Cleri-  
 cus, quippe qui alicubi testatur, se illi  
 gratiam habiturum insignem, qui  
 operam suam (profecto egregiam)  
 iuxerit s. emendauerit: illam autem  
 ego nec desidero, nec mereo; faueat  
 mihi modo meisque conatibus Vir ille  
 doctissimus, haec votorum summa.  
 Haec omnia perscripseram, quum mi-  
 hi forte in manus veniunt Io. Heurnii,



*Heurnius  
Hippocrati  
pulsuum  
scientiam  
attribuit, et  
probat, et  
Laurentius  
Bellini.*

Medici, dum viueret, incomporabilis, *Institutiones Medicae*, quarum *Liber X.* de Pulsibus agit atque Respiratione: In primo dicti libri *Capite*, vbi de vtilitate scientiae pulsus etc. video doctissimum illum Auctorem in id imprimis incubuisse, in quod ego haectenus, nempe probare voluisse, Hippocratem pulsuum optime calluisse scientiam, non voluit autem solum; verum re ipsa quoque probauit Vir ille solers. Primo enim Galeni contradictiones notat, quod et ipse feci; post varia ex ipso Hippocrate producit loca eaque fere omnia superius a me allegata, quae scientiam pulsuum Hippocraticam satis arguunt, praeterea etiam obseruat, Hippocratem saepius spiritum pro ipso pulsu sumsisse, quoniam vtriusque vnus idemque finis; Tandem quoque non temere adserit, Galenum ea, quae de pulsuum differentiis, satis verbosa vanitate, scripsit, mutuatam fuisse ex variis respirandi modis apud Hippocratem ab ipso deprehensis: Vt alia iam taceam. Hunc igitur Hippocrateae autoritatis strenuum adsertorem vtiq; adiungendum censeo. Fonsecae supra a me laudato: Immo, breuior forte fuisset in mea probatione, si ante, quam eam per-

pertexerem, Heurnii fuissem recor-  
 datus: interim tamen nec penitus poe-  
 nitet haec omnia conscripisse; quin  
 potius mihi de tanto promacho gra-  
 tulator, eoque magis in firma mea de  
 pulsibus Hippocrati notis sententia  
 confirmor. Confirmor? immo etiam  
 plane conuincor, posteaquam Lau-  
 rentius quoque Bellini, Medicus in  
 Italia non solum, sed et vniuerso, qua  
 patet, erudito orbe celeberrimus in-  
 ter eos nomen profitetur suum, qui  
 Hippocratis σφυγμογνωσίαν argu-  
 mentis grauibus atque perspicuis ad-  
 struxere. Is enim in egregio de *Pul-  
 sibus scripto p. m. 82. seq. Editionis Bob-  
 nianae*, non solum aequae ac fecit modo  
 laudatus Heurnius, et ego supra quo-  
 que, primo Galeni contradictiones  
 et inconstantiam adnotat: sed et dein-  
 de multis ex ipso Hippocrate locis pe-  
 titis, euidenter ostendit, *quod Hippo-  
 crates, ipsius sunt verba, eiusmodi do-  
 ctrinam nouerit, et plurimi fecerit, et pul-  
 sus obseruandos esse mandauerit, et quid  
 eorum aliquot indicent, exposuerit, quid-  
 quid blaterent nonnulli, asserentes, nec  
 quidquam praecepisse de pulsibus, aut no-  
 uisse, aut curasse Hippocratem.* Et licet  
 hic Cl. Schelhammerus loco supra alle-  
 gato p. 226. de hac bella Bellini demon-

stratione ita iudicet: *Quidquid Bellini se iactet, non persuadet suis illis locis Hippocratis, eum adeo multum ad pulsus attendisse: Quilibet tamen facile colliget, Cl. hunc Virum partibus Conringii addictum, ut superius iam iui probatum, veritatem studio oppresfisse, quod et in seqq. adparet, ubi de toto hoc Bellini de Urinis et pulsibus libro dicit, eum exigui esse momenti, nec expectationem explere, quum tamen illustris Bohnius, Vir defaecatissimi iudicii, in Praefat. libro illi praefixa, alii que Viri doctissimi aliter longe de Bellini operibus sentiant. Sed haec iam de pulsibus, haec inquam forsitan nimia. Tanta scilicet molis erat inueteratum praeiudicium subvertere et eradicare. Quo vero successu illud fecerim, ipse TV V. E. iudicabis, nam TIBI omnia relinquo. Loca plura ex Hippocrate non addo, quamuis possem si vellem, immo si necessum foret, sed finio potius ita cum eodem Hippocrate: Ἀμφὶ δὲ τῶν ἄλλων εἰ λέγοιμι, μακρότερον μὲν ὁ λόγος γένοιτο ἂν ἀτρεκέστερον δὲ ἔσδεν μάλλον, ἔσδὲ πιστότερον.*  
 Sicuti vero ex Physiologicis, immo ut rectius dicam, ex Semioticis, Hippocrati doctrinam de pulsibus ἀγαθῆν opinor τύχη, iam restitui: Ita nunc  
 ex

*Lib. de Flat.  
 extrem.*

*Commenta-  
 rius Tertius.*

ex therapeuticis *artem sudores prouocandi* eidem restituere adnitar. Video enim (sed nollem illud vidisse) eam a TE ipsi abiudicari, quum in *Commentario*, qui iam sequitur, *Tertio* hunc in modum scribis: „Sudor perpetuo apud Hippocratem, quantum ego percipio, non vt curandi instrumentum, sed tantum vt praesagii nota proponitur. Igitur ille in libris, qui germani habentur, remedii, quod sudores prouocat, nusquam meminit etc.“ Quam vellem Tecum V. E. in eandem ire sententiam! mihi enim, ita me Deus amet! moris non est, tantis viris, qui me ipsum docere possunt, contrariari. Verum quum sedula Hippocratis lectio et ex hac mihi enata veritas me contrarium doceat; patieris, spero, pro Tuo in eam amore, vt hac quidem in parte a Te discedam, atque sic Cl. Clerici vestigiis insistam, qui *certis in casibus* (ipsius sunt verba) non in *febris Diariis* solum, sudores prouocasse per sic dicta sudorifera, licet ea non indicarit, nisi vno in loco, qui est in *II. Epid. libr.* quem et TV V. E. ceu spurium quidem, allegasti, de quo paullo infra agam. Igitur iam eo al- laborabo potissimum, vt huic doctissi-

*Denegatur  
Hippocrati  
ars sudores  
eucandi.*

*Contrad-  
dit Cl. Cle-  
ricus.*

*Hist. Med.  
P. I. L. III.  
c. XX.*



mo Viro suppetias feram eiusque sententiam modo traditam eiusmodi argumentis muniam, vt contra cuiusuis insultum immota manere possit et inconcussa: nec ipse illud aegre feret, quum veritatis res agitur, quae, nihil interest, per quem emergit, modo emergat per aliquem.

Probatur  
Elietius  
Hippocratem  
Sudores  
prono-  
casse:

Sed vt tandem ad rem ipsam veniam; equidem non diffiteor, sudorem saepe Hippocrati sumi pro praesagii nota et signo critico, vt ex *Cacorum praedictionum, praedictorum* et inprimis *Epidemiorum* libris satis constat: *Saepe*, inquam, non vero *semper*, non *perpetuo*. Ipse enim Hippocrates distinxit inter sudorem *αυτόματον*, h. e. naturalem et criticum, et inter *τεχνικόν*, seu qui *τέχνησι*, vt ipsius voce vtar, promouetur, libro de *Humoribus*. Sic alibi *Lib. de Morbis Mulierum I. §. XLIII. suadet ἰδρωτας ἀγειν*, item eodem libro §. *LXVI. διαγέειν καὶ ἰδέειν*, quem posteriorem locum etiam laudauit Cl. Clericus: sic *V. Epid. lib. §. XXVII. iubet Hydropticum ἰδέειν sudare*, quod et repetit *lib. Epid. VII. §. XXXV. quae omnia, vt quiuis intelligit, non de sudore spontaneo, seu naturali, sed arte educto accipienda sunt. Elicuit autem Hippocrates, quantum ego percipio, sudorem*



rem vel per *externa* vel per *interna* reme- *Primo per*  
*dia.* Externa sunt variae in palaeſtra *Externa,*  
 exercitationes, Balneum, Vnctio et *quae recen-*  
 tandem Vestium et ſtragulorum in *ſentur.*  
 corpus aegrotum congeſtio: De ſin-  
 gulis iam ſeorſum. Quod ad exerci-  
 tationes in palaeſtra, quae quum va-  
 riae, vt dixi, eſſent, variis quoque in-  
 ſigniebantur nominibus, vt *τρεχὸς*  
*ὄξυς, πάλη, ἀκροχείρησις, χειρονομίη, κω-*  
*ρυκομαχίη et ἀλίνθησις,* in primis (ex qua  
 voce corruptum *celadia*, quod apud Au-  
 relianum legitur, ortum eſſe cum *M. e. L. V.*  
 Zuingero crediderim) ſicut eae recen- *e. XL.*  
 ſentur ab ipſo Hippocrate *libro de Diae-*  
*ta Tertio:* hae inquam exercitationes  
 potiffimum inſtituebantur propter *ſu-*  
*dorem promocandum,* et vt ſubiectis obe-  
 ſioribus et *πολυσαρκοτέροις* ſuperflua  
 caro colliqueſceret quaſi et deflueret.  
 Teſtis huius adſerti ſit Hippocrates  
 ſeu Autor *libri Epid. V Iti ſ. III. ἐν γυμνα-*  
*σίοις σημεῖον ὁ ἰδρῶς ὁ ῥέων εἰς γόνην, ὅς*  
*ἔξεισιν ὡς περ ἐξ ὀχετῶν. Lib. de Acuto-*  
*rum Viδτι §. LXVII. de eo, qui haemor-*  
*rroidibus laborat, inquit, γυμναζέσθω*  
*καὶ διιδεῖτω. Lib. de Inſomniis §. IV. Συμ-*  
*φέρει τοῖς ἰτε δρόμοις ἐν ἱματίοις κε-*  
*χρηῖσθαι πολλοῖς - - ὅπως ἐξιδρώσῃ ὡς*  
*μάλις α:* Sed et latinus dixit Hippo-  
 crates: *Exercitationis plerumque finis eſſe*  
*debet*



*Lib. I. c. 2. debet sudor etc. memini quoque me*  
 apud Aetium legere: Μίγνυται ἰδρῶς τῶν  
*Lib. II. c.* γυμναζομένων ἐν ταῖς παλαιαῖς τῆ ὑπο-  
 107. κειμένη κόνει· καὶ τῷτο καλῶσι πάτον κ. λ.  
 qui locus utique est notandus: taceo,  
 quae ex Galeno et aliunde adferri  
 possent, quis enim vehementioris ex-  
 ercitationis alius potest esse effectus,  
 nisi sudatio? Et haec de primo. Iam  
 de *Balneo*. Hoc inter alia etiam infer-  
 uiebat sudoribus propellendis: Hip-  
 pocrates *Libro de Loc. in Hom. §. XXX.* ὡς  
 ἀπὸ τῷ λειτρῷ ὁ ἰδρῶς ἐγγένηται: ibidem  
 §. XXXIII. quibusdam interiectis: λέγειν χρὴ πολ-  
 λῶ καὶ κρίειν ὑγρὸν, καὶ θερμαίνειν ὡς μά-  
 λιστα, ὡς ἡ θερμωλή, ἀνοιχθῆντ τῷ σώ-  
 ματι, ὑπὸ ἰδρῶτ ἐξέλθῃ: Celsus:  
*sudor balneo elicitur etc. Balneum exci-*  
 pit *Vnctio*, cuius saepius apud Hippo-  
 cratem mentio fit; bina tantum in  
 praesenti allegabo loca eaque infi-  
 gnia: *Libro de Diaet. II. §. XLV.* expref-  
 sis verbis meminit χρισμάτων ἰδρωτικῶν  
 seu *unguentorum exsudatoriorum*: Sed  
 plenius de iis agit *Lib. de Diaet. III. §.*  
*XVII.* vbi de febricitante est sermo,  
 ἀγαθὸν τοῖσι χρίσμασι χρέεσθαι τοῖσιν  
 ἰδρωτικοῖσιν ὑπὸ τὰς κρίσιαις, ἐξαναγκάζου-  
 σι γὰρ: Et licet Hippocrates, pro mo-  
 re, non indicauerit, ex quibus simplici-  
 bus parata fuerint haecce unguenta;  
 sci-

scimus tamen ex Galeno atque Aetio, *Aet. lib. III.*  
 quaenam ipsorum compositionem *περὶ ἰδρωσικῶν ἀλτιφάν.*  
 uere ingressa, v. g. nitrum, Anethum,  
 Althea, Aristolochia, Casia etc. Tan-  
 dem et de *Vestium* seu *stragulorum im-*  
*positione.* Hoc quantum inuet ad cor-  
 pus sudore perfundendum, nostrates  
 sciunt, immo et ipse summus vester  
 Sydenhamus simplicem hanc sudo-  
 rem proliciendi methodum in feбри-  
 bus pestilentialibus summopere com-  
 mendat, sed sciuit et Hippocrates. *II. Epid.*  
 Præter locum a Te et a Cl. Clerico alle-  
 gatam duo solum producam: *Libro de*  
*Morb. II. §. XXXVIII. καθ'ακλίνας ἐπι-*  
*βαλλέειν ἱμάτια, ἕως ἂν ἰδρώσῃ:* Ibidem  
*§. sq. XXXIX. ἱμάτια ἐπιβαλὼν, ἕως ἐξί-*  
*δρώσῃ.* Sed haec de externis. Pote-  
 ram his etiam addere *Friktionem*, item  
*alorem siccum*, cuius et Celsus meminit,  
 quorum etiam mentionem fecit Hip-  
 ocrates: Verum ne diutius circa ex-  
 terna haereremus, duos istos modos  
 ubens omisi, in primis, quum ea, quae  
 haecenus dixi, tanti sint, credo, robo-  
 ris, vt maculam possint abstergere  
 Hippocrati de sudoriferorum licet,  
 non diffiteor, vt plurimum simplicium,  
 ignorantia male adpersam.

Adgredior nunc ad ea remedia, *Secundo per*  
 quae interne adhibuit Hippocrates, *Internas*  
 pro

*quae attinguntur.*

pro scopo sudorem prouocandi. Sterilior, fateor, hic et campus et mesfis est; interim tamen nec talia penitus ignota fuere diuino illi Medico, vt mox patebit. Egregius sane locus est in *II. Epidemiorum* libro, vbi Hippocrates vestimentis bene coniecto immo grauato suadet farinam plurimam et calidissimam edere, vinumque meracum insuper libere, vt corpus sudore copioso madeat. Sed obiicis V. E. hunc librum Hippocrati falso esse adscriptum: Ego vero adfero, pace Tua, recte ipsi fuisse adscriptum. Dixi iam superius de negotio aliquid: repetam illud hic, et addam huic quidpiã. Erotianus illum pro Hippocratis foetu agnoscit, post Caelius quoque Aurelianus ipso Galeno antiquior, vt recte adferunt Sichardus, Brayllonius, Vossius et alii, quamuis contradicat Reinesius et ex eo Cl. Clericus: (Nam si etiam Galenum non laudasset, certe eum notasset, vt aliis fecit ipsique adeo Hippocrati loco abs Te allegato; nec est, adnotante eodem Critico, quod statuamus, eum ab Galeno consulto abstinuisse quia ille polleret ingenio iuxta et dicendi facultate, quis enim illud de Aureliano credat? sed haec obiter.) Tandem et ipse Galenus eum ab Hippocrate scriptum fuisse pronunciat, licet

*II. Epid. Liber vere est Hippocratis.*

*Caelius Aurelianus Galeno antiquior, obiter probatur.*

tan-

antum πρὸς ὑπόμνησιν, vt loqui solet, qui eundem etiam Commentariis illustravit, etsi hodie deperditis: Plura videri possunt in doctissima *Foesii praefatione*, quam huic libro a se commentariis locupletato praefixit. Scripsit ergo Hippocrates hunc librum et hinc iure auctor est remedii sudoriferi in ipso descripti. Sed et de meo nunc aliquid addam. Allegaui superius paullo locum ex *Lib. de Morbis II. §. XXXVIII.* vbi febre tertiana correptum reclinatum stragulis cooperire iubet vsque dum exfudet; ante autem quam id fiat, inquit; *πίσαι τριφυλλον καὶ ὄπὸν σιλφίῳ ἐν οἴνῳ ἰσορατέει.* Cogitaui hic praescriptum esse ab Hippocrate sudoriferum: Silphium enim, et imprimis eius succum *θερμότατον εἶναι καὶ θερμαίνειν γενναίως* testantur Dioscorides, Galenus, et ex eo Aetius, itemque Plinius, quod et de trifolio idem notat Galenus cum Aetio. Et quod ad prius, silphium uita, attinet, inuenio frequentissimiarii que apud antiquos illud fuisse usum, quod Suidas et Scholiastes ad *Aristophanis Aues*, vt et Cl. Clericus testantur, adde imprimis Langium; hinc et apud Hippocratem silphium bique fere laudatur et praescribitur:

*H.M.P.III.*

*L. II. c. 2.*

*p. 82.*

*Epist. Med.*

*1, LXXII.*

**Forte**

L. III. c. 157.

Forte igitur hoc in loco etiam adhibi-  
 tum fuit ceu ἰδρωτικόν, nam Aetius re-  
 fert inter τὰ ἰδρωτικὰ κενώσικα etiam τὸν  
 ὄπρον κυρηναικόν, qui cum ὄπῳ σιλφίᾳ  
 idem fere certe ex vno eodemque  
 genere est, vt ex Galeno demonstrat  
 Foësius: nec improbable est, priscos  
 Cyrenaicum potius quam aliud adhi-  
 buisse silphium, quia hoc et suauio-  
 rem odorem spiraret, et mitiorem sa-  
 porem referret. Sed haec cogitavi  
 tantum, neque ego coniecturam pro  
 veritate ἀνανήλεκτω vendito. In libro  
*de Locis in Homine* §. XXXIX. inuenio su-  
 doriferum, quod et simul est diure-  
 ticum, vt plura alia, quod introsu-  
 mendum febrienti propinat Hippo-  
 crates: καὶ πῖον ὑδωρ θερμόν καὶ μελί-  
 κρανον, καὶ ὄξυς σὺν ὑδατι. Ταῦτα δὲ  
 πιπίσκειν ὡς πλεῖστα. ἦν γὰρ μὴ ψυχρὸν  
 εἰς ἡλὸς ποτὸν θερμόν ἐόν καὶ μένον, ἐκ τῶ σώ-  
 ματος τῶ νοσήσοντος ἀφερέσει, ἢν τε διὰ τὴν  
 ἦν τε δι' ἰδρωσίν. Hoc sane hidroticum,  
 sicut simplicissimum, ita vsitatissimum  
 videtur priscos fuisse Medicis: Ipse la-  
 tinus Hippocrates s. c. Celsus, vt et  
 huius causam veluti in transitu agam,  
 hoc sudoriferum, i. e. aquam calidam,  
 commendat his verbis: *Si qua eius*  
*(aduentantis sc. sudoris) nota est, tum*  
*demum dare potui calidam aquam, cuius*  
*salu-*

 Lib. III.  
 c. VI.

salubris effectus est, si sudorem per omnia membra diffundit. Sed haec sufficientiam de sudoriferis Hippocraticis siue internis siue externis: Si Hippocratis *Φαγλακίτιδα* s. libellum medicamentariam, quem saepius ipse citat *Libro de Affectionibus* et *alibi*, adhuc haberemus superstitem; non dubito et caput in hoc inuentum iri de sudoriferis interne adhibendis. Nam alias raro medicinali compositionem refert, licet nomet hoc vel illud remedium: Saepius etiam, quod et *TVte* ipse, *V. E.* obseruasti, ne nominat quidem remedia ob breuiloquentiam, etsi ea adhibuit: Saepissime vero nulla quoque adhibuit, ubi sciret, naturam sibi ipsi inuenturam *τὰς ἐφόδους*, ut ipse ait, sibi que ipsi suffecturam ad malum profligandum. Hincque est, quod in *Epidemiorum libris* adhibiti sudoriferi rarissime incidit mentio: quid enim opus erat medicamentis, ubi sua sponte natura aegrorum corpora sudore perplueret, sicque morbum finiret? quod tot paginis legitur in *Primo*, *Tertio* et *Septimo Epidemiorum libris*. Sed ne de sudore scripsisse videar cum sudore, verbum amplius non addo.

*Comment.  
I. p. 12.*

Progredior iam ad *Commentarium Quintum*, in quo de *Pleuritide* ac *peripne-*

*Comment.  
rius Quintus.*

F

ripneu-

ripneumonia, harumque, si qua est, differentia, actum fuit. Meum hic esse non puto, litem illam dirimere, vtrum pleura a materia acri stagnante s. sanguine intercepto inflammata *diu sola* possit adfici, ita vt non potius ipsos vicinos pulmonum lobos ratione tenerrimae eorum texturae, simul in consensum rapiat affligatque: an vero *gradu tantum extentuque latiori*, quae Sydenhami, Ettmulleri, et quos ille allegat, Willifii aliorumque virorum celeberrimorum fuit opinio, duo hi inter se differant adfectus, ita vt peripneumonia *aucta sit et intensa pleuritis, s. pleuritidis continuatio, pleuritis vero incipiens quasi et futura peripneumonia.* Hinc mirum non est, veteres vtrique harum easdem notas assignasse characteristicas, eandemque praescripsisse medendi methodum, quum scirent, certe crederent, eas gradu tantum a se distare ac tempore. Hippocrates, ad quem nunc redeo, multis in locis, vt in *I. II. III. de Morbis libris, de Affectationibus, de Victu in morbis acutis, et alibi* saepe tractat sedulo, et de pleuritide, et de peripneumonia, ita tamen, vt ambos hos affectus ceu fidos sodales nunquam non coniungat, deque pleuritide prius,

us, de peripneumonia vero agat posteriorius, praecedit minus, sequitur maius, vt fit: in quo et Celsus, Caecilius Aurelianus et multi ex veteribus alii, et quos supra partim laudavi recentiores eum strenue fuere sequuti. De pleuritide, scribis, V. E. quae peripneumoniam non habuerit adiunctam, nisi semel apud Hippocratem, nihil usquam legimus. Ex causis nimirum supra allegatis: Interim tamen Hippocrates non eo tantum in loco, quem ex *Lib. de Morbis I.* produxisti, seorsum considerauit pleuritidem a peripneumonia, sed et in aliis. Sic *Lib. de Affectionibus* aperte scribit: ἔστι δ' ὅτε καὶ ἐκ πλευρίτιδος μετέβηαι εἰς περιπνευμονίην καὶ καῦσον: Reliqua loca, quae superius indicavi, ex *Libb. de Morbis etc.* vbi itidem pleuritidem describit per ὀδύνην εἰς τὸ πλευρὸν, peripneumoniam autem per pulmonum ex acris humoribus ab ipsis imbibitis, turgescenciam et inflammationem, vt alia signa nunc taceam; adscribere taedet, possunt enim a quouis legi et notari.

In Commentario VIII. qui de Vri-  
nae agit profluio, quaeritur: an Hip-  
pocrates vrinam mouentia in Febris adhi-  
buerit? et respondetur dubitando, im-  
mo negando. Ego vero cur dubitem?

Commenta-  
rius Octa-  
vus.  
Negatur  
Hippocra-  
tem Diure-  
caus-



tica in fe-  
bribus ad-  
bibuisse.

Sed brevi-  
ter proba-  
tur eum ea  
adbibuisse.

causae nil video. Superius locum ad-  
duxi ex libro de *Locis in Homine*, ubi opti-  
mus senex febricitanti potum calidum  
propinavit, vel ut per sudorem, vel pe-  
vrinas peccantem, ut aiunt, materiam  
s. vitiosos humores resolveret expel-  
leretque. At obiicis hic, V. E. poti-  
ones diluendi tantum habere vim  
non diureticam: Esto! si non prima-  
rio, ut loquuntur; habent tamen se-  
cundario: per indirectum tamen vri-  
nam mouent, dum sanguinis molem,  
ut ipse ais, in citatiorem liberioresque  
cursum abripiunt, unde τὸ ζυνεσηκός  
Hippocratis sunt verba, θερμαινόμενον  
λεπτύνεται τε, καὶ ζυνεξωθεῖται ἐκ τῆς  
σαρκὸς ἕξω. Nil igitur, certe parum,  
interest, vi propria agant potiones e-  
iusmodi calidae, an vero per accidens,  
modo agant in corpus, et iuuent. In-  
primis, quum et ipsa simplex aqua,  
dum varia in terrae cryptis alluit mi-  
neralia, varias hinc inde imbibat par-  
ticulas, quae stimulandi iuxta et ex-  
pellendi vim habere videntur, ut adeo  
et huius respectu, i. e. virtutis suae in-  
ternae inter euacuantia, si non primi,  
postremi certe ordinis, iure quodam  
referri queat. Legi hic merentur bi-  
nae dissertationes celeb. Hoffmanni  
de *Aqua Medicina vniuersali*, et de *Aquae*

natura

natura ac virtute in medendo, item alia Cl. Charifii diff. de Aqua eiusque usu in Medicina. Sed redeamus ad Hippocratem. In febribus sic dictis biliosis, praesertim ubi icterus, semper fere praescripta diuretica, ut ex eodem de Locis in Homine Libro §. XL. patet. Praecipue notandus est locus ex II. de Morbis §. XXXV. 16. ubi πυρετὸς βληχερὸς, post suadet διδόναι πίνειν διυρητικά: immo lib. de Morbis III. XXXI. diuretica ipsa recenset v. g. pulegium, apium, mentam, coriandrum etc. dicitq; demum: πάντα τῶ πυρέσσοντι ἠθριασμένα διδω, vimque huius medicamenti addit in his: Τὸτο δὲ ζρεῖται καὶ διὰ τῆς κοιλίης χολὴν ἄγει. Sed satis de his, ad finem propero: hinc nolo in praesenti plura adducere loca, nec illud multa opera probare, quod facile probari poterat.

Extremum ergo iam occupent Cantharides pro insigni suo, quem spirant, foetore. De his earumque in vesicatoriis usu plane egregio elegantissime agit Commentarius Tuus Nonus seu ultimus. Ibi inter alia scribis Hippocratem Cantbaridas saepe commendasse ut medicinam introsumentam, (refectis scilicet, ut recte obseruat Cl. Clericus et Langius, alis et pedibus, addo et capite) ad vesicas vero excitandas nusquam adhibuisse,

Commen-  
tarius  
Nonus  
De Cantha-  
ridibus.

quanquam aliquid de earum virtute, ve  
Hippocrates, vel alius quispiam, etiam quum  
cuti admouerentur, odoratus fuisse videatur,  
qui enim, pergis, V. E. libellum de Super-  
foetatione scripsit, illas inter alia irritandi  
instrumenta, ad purgandum vterum, pesse  
immisceri praecipit. Haec omnia bene  
Id autem demiror, quod, quum loca  
longe clariora et certiora passim, im-  
mo saepe in genuinis Hippocratis scri-  
ptis occurrant, vbi Cantharides pro

Probat  
ex variis  
Hipp. locis,  
Hipp. vsum  
canthari-  
dum  $\sigma\pi\alpha\sigma\iota\sigma\iota$  exter-  
num callu-  
isse, quod  
dubie fue-  
rit adser-  
tum.

expulsorio et Appositio acri sanguinemque  
ducente externe commendantur; hic vni-  
cus tantum ex libello de Superfoetatione  
incerto, isque perobscurus, vti modo  
dixi, allegatus sit, quod et fecisse anim-  
aduerto, Auctorem Indicis Editionis Hip-  
pocratis Lindenianae, quasi hoc vno fo-  
lum loco Hippocratis niteretur aucto-  
ritas. Sed producamus iam illa loca,  
quae dixi clariora certioraque. Libro  
de Nat. Mul. §. XXIV.  $\pi\rho\sigma\theta\epsilon\tau\alpha\ \delta\rho\iota\mu\acute{\epsilon}\alpha\ \alpha\iota\mu\alpha\ \acute{\alpha}\gamma\omicron\nu\eta\ \kappa\alpha\upsilon\theta\acute{\alpha}\rho\iota\delta\alpha\varsigma\ \pi\acute{\epsilon}\nu\tau\epsilon\ \xi\upsilon\mu\acute{\iota}\xi\alpha\varsigma\ \tau\omicron\ \lambda\iota\beta\alpha\upsilon\omega\lambda\omega\ \kappa.\ \lambda.$  Lib. de M. M. I. §. C.  
eadem leguntur verba, vbi tamen ad-  
ditum est:  $\acute{\epsilon}\pi\eta\nu\ \delta\acute{\alpha}\kappa\eta\eta\lambda\alpha\iota$  illud sc. sub-  
dititium ex Cantharidibus paratum:  
ibidem paullo post:  $\kappa\acute{\alpha}\nu\theta\alpha\rho\iota\varsigma\ \theta\acute{\alpha}\sigma\sigma\omicron\nu\ \kappa\alpha\tau\alpha\sigma\pi\acute{\alpha}$ : §. CVI. eiusdem quem di-  
xi libri, de eodem ex Cantharide pes-  
fo dicitur:  $\eta\nu\ \delta\acute{\epsilon}\ \acute{\alpha}\mu\acute{\upsilon}\sigma\sigma\eta\tau\alpha\ \eta\gamma\acute{\iota}\ \delta\acute{\alpha}\kappa\eta\eta$ :

Ibidem

*ibidem* §. CXXVIII. Διεκβόλιον ἑλλέβο-  
 ρον μέλανα, καὶ κανθαρίδας εἰς. τρίψας  
 ἢ ὕδατι καὶ ποιήσας βάλλανον --- post:  
 τὰν δὲ αἷμα φανῆται ἀφελέσθω. Sic et  
 libro de M. M. II. §. LIX. mulieri hy-  
 rope vterino laboranti hoc suadetur  
 ῥόσθωτον: Κανθαρίδας τρίψασα προστι-  
 θέσθω ὀλίγον χρόνον καὶ διὰ πλείον ἔνερ-  
 γεί. Haec sunt illa loca, quae Hippo-  
 cratem vsum Cantharidum externe  
 adhibitarum σπασικὸν nequaquam ig-  
 norasse, perspicue satis edocent. Plu-  
 ra in iisdem de M. M. inueniet *Libris* et  
 tibi, cui volupe spissos illos commen-  
 tarios peruoluere. Ego officio meo  
 perfunctus mihi videor, quum pauca  
 produxi, sed clara, idque, quod volui,  
 satis, opinor, comprobantia.

Verum hic terminus esto! Plura  
 profecto scripsi, ac primo volui: Adeo  
 erum hic tractatarum varietas in va-  
 ria me deduxit, immo inuitum poene  
 abripuit. Ceterum eos, in quorum  
 sorte manus veniat leuidentem hoc scri-  
 ptum, quique studiis his amoeniori-  
 bus capiuntur, rogatos velim per-  
 quam officiose, vt, si quid habeant aut  
 meditati fuerint, quod ad illustran-  
 dum faciat Hippocratem, id mecum  
 beneuole communicare, haud recu-  
 sent: Ego hocce beneficium grato  
 agno-

agnoscam animo, publice aliquando  
illud laudaturus.


TV vero, VIR EXCELLENTIS-  
SIME, vale, mihi que, si dignus TIBI  
visus fuero tanto honore, aeternum  
faue!

Scripti Lipsiae, A. O. R. CIOCCCXVIII.  
Kal. Febr.

\* \* \* \* \*

P. S.

Noli mirari V. E. quod tam sero prodeat  
haec mea *Epistola critica* ante annum et quod ex-  
currit, ad Te exarata. Rem TIBI omnem enar-  
rabo: Fuerunt, qui editionis illius curam in se su-  
scipere sponderunt; Gavisus sum et concessi illis  
hocce meum opusculum, atque diu satis expectavi.  
Tandem vero, quum rem tantum trahi, neque ex-  
pediri animaduerteterem, morae impatiens, ad ipsum  
bibliopolam scripsi, meumque scriptum reposci,  
nec difficulter illud ab eo obtinui, quippe cui im-  
primendi, mens, credo, fuerat nunquam. Haec  
nec Te V. E. nec *Lectores* volui latere, ne mihi im-  
puteretur istud, quod citra meam cul-  
pam, immo me inuitissimo, fa-  
ctum est.

 (o) 